



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Domus Æternitatis**


Reserata, Et Ad Ingrediendum Quotidie Memorïæ cogitationibus,  
Intellectûs considerationibus, ac voluntatis affectibus Aperta ; Serviet  
quoque pro Concionibus; uti & pro Exhortationibus, in Agoniae Domini  
Sodalitatibus

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50597](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50597)








Th. 2929.

f. II  
32.


























*Petrus Baltha: Boultart fecit Antwerp.*



DOMUS  
ÆTERNITATIS  
RESERATA,  
ET AD INGREDIENDUM

Quotidie

Memoriæ cogitationibus,  
Intellectûs considerationibus,  
ac voluntatis affectibus

A P E R T A

*Colleg. à Joehs. de So paderb*

R. P. JOANNE DIRCKINCK  
Societatis J E S U Sacerdote.

*Serviet quoque pro Concionibus; uti &  
pro Exhortationibus, in Agoniæ  
Domini Sodalitatibus.*

PARS PRIMA.

---

COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Apud SERVATIUM NOETHEN,  
Anno M.DCC. XIII.

*Superiorum permissu & Privilegio.*



DOMINUS  
VETERINARIIS  
RESERVA TA  
ET AD INCREPANDUM

Compendio  
Methodus  
de videri  
A. E. R. T. A.  
Causa  
P. J. O. N. B. C. A. L. I. C. I. C.  
P. A. R. T. I. M. A.

CONVICTIO  
SIRVATIUM FORTIEN  
ANNO MDCC XII

I  
qu  
pe  
un  
di  
lis  
va  
pe  
ce  
fi  
pt  
qu  
an  
ca  
ob





# PRÆFATIO

## AD LECTOREM.

**P**ropono, tibi, Lector benevo-  
le, Domum æternitatis, ad  
quam indies, magnis passibus pro-  
peramus; & quidem reſeratam; ut  
unà mecum, nullo negotio, ingre-  
di, & quæ in ea lateant, mentis ocu-  
lis intueri, affectibusque proſequi  
valeas. Ad quod gemina me ratio  
permovet. Prima meipſum con-  
cernit; poſtquam enim, Dei bene-  
ficio ſingulari, annum ætatis ſe-  
ptuageſimum; vitæ verò religioſæ  
quinquageſimum emenſus ſum,  
animo ſæpius agitare cœpi, de-  
cantatum à Vate Regio Pfalms  
octogefimi noni verſiculum: *Dies*

† 2

1770



## PRÆFATIO

*annorum nostrorum septuaginta anni,  
& amplius eorum labor & dolor. Ex quo clarè perspexi, me à vitæ meta,  
à morte, ac Domo æternitatis,  
haud procul abesse: id enim clarè  
mat & sensus deficiens, & vigor  
languescens, & ætas canescens  
Quod autem antiquatur & senescit,  
prope interitum est: ait Apostolus ad  
Hebræos c. 8. 13.*

Ac proinde Statui Domûs æternitatis memoriam indies mihi refrigerare, de ea legere, scribere, loqui & meditari, exemplo Magni Augustini meditatione 22. sic scribentis: *Libet sanè de te loqui (ô beata æternitas) aut de te audire, de te scribere, de te conferre, de tua beatitudine quotidie legere; & lecta sæpius sub corde revolvere: ut vel sic possim ab hujus mortalis & peritura vitæ ardoribus, periculis & sudoribus, sub tua vitalis auræ refrigerio transire*



## AD LECTOREM.

*Et transiens, in sinu tuo fessum caput  
Ex dormiturus vel paululum reclinare.*

Quò autem ad manum habe-  
rem, quæ in memoriam indies re-  
vocarem, aut corde ruminarem;  
varia, tum è verbi divini oraculis,  
tum è Sanctorum Patrum monu-  
mentis; tum etiam è probatissimo-  
rum Ascetarum codicibus collegi,  
in libellum hunc digessi, atque in  
tot, quot annus numerat dies,  
consideratiunculas dispecui; qui-  
bus teporem meum quotidie ex-  
citerem, fervorémque succende-  
rem; & quò viciniùs morti atque  
æternitati appropinquo, eò solici-  
tiùs ad eandem me compararem,  
cum S. Gregorio M. *Quantò mor-  
ti viciniùs, tantò solicitior.* L. 7. E-  
pist. 1. Atque hæc prima hujus lu-  
cubrationis meæ est causa.

Causa altera te, mi Lector, pro-  
ximúmque meum, concernit: ut



## PRÆFATIO

nimirum pro vocationis meæ instituto, alienam quoque salutem, & perfectionem promoverem; ad quam, memoriâ & consideratione æternitatis, nihil utilius est, nihil efficacius. Cur enim tantopere eam commendat Ecclesiasticus, dicens: *Memorare novissima tua?* c. 7. A. 40. Cur David Salomoni Filio suo vale dicens, ante mortem, eandem tam serîo ei inculcat; assensurus: *Si quaesieris Dominum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in aeternum?* 1. Paralip. c. 28. at. 9. Cur Salvator noster in concionibus suis, *vitam aeternam, & ignem re aeternum* toties populo proposuit? *in* Cur denique Ecclesia Mater nostra, in omnium psalmorum, hymnorum & orationum fine, æternitatis memoriam refricare voluit, renisi propter ingentia ejus emolumenta? cùm nihil ferè ad vitam aeternam.

emen.



## AD LECTOREM.

emendationem, ac spiritûs fervorem, ad metum salutarem gehennæ, & desiderium cœlestis Patriæ, vehementiùs excitet, atque ad mortem felicem, æternitatẽmque beatam meliùs disponat.

Et hæc est ratio, cur Prophetæ, Apostoli, Martyres, aliique viri ac feminae sanctitate illustres, in consideratione ac meditatione æternitatis fuerint assidui; De se fatetur Propheta Regius: *Annos aternos in promente habui.* Psal. 75. 6. S. Paulus *æternum gloriae pondus* animo vertebat, 2. Corinth. c. 4. 17. S. The-  
refia illud: *in æternum! in æternum!* ait: *in æternum!* crebrò mente volvebat. Inde Apostoli ac Martyres in tormentis, Confessores in laboribus, Virgines in tentationibus, robur invictum hausere. Quidni, o mi Lector, hos Sanctos imitamur, vitæ cum evidens nobis sit, quòd indies



## PRÆFATIO

ad æternitatem properemus? *Quotidie morimur*, ait S. Hieronymus; *quotidie commutamur*; & tamen æternos nos esse credimus: hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur: quot puncta Notarii, tot meorum damna sunt temporum: scribimus atque describimus, transeunt maria epistola, & scindente sulcum carinâ, per singulos fluctus, ætatis nostræ momenta minuuntur. In Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum.

Si igitur tibi, chare Lector, ex hisce considerationibus, fructum nonnullum decerpere placuerit, quotidie punctulum aliquod tarde legendum, ac paulisper ruminandum, aut meditandum, matutino præsertim tempore, ante alia negotia, assumere licebit. Servire quoque Considerationes hæc poterunt pro Concione dicentibus, si eas ve-

non



## AD LECTOREM.

nonnihil amplificaverint , vel binas, ternasque conjunxerint, uti & in Sodalitate Agoniæ Domini perorantibus. Servient denique pro Libri spiritualis lectione privata , aut publica in triclinio.

Ego Bonitatem Divinam supplex rogo, atque rogabo, ut & tibi, & mihi benignè aspirare, gratiamque uberem elargiri dignetur; quâ in æternitatis adyta, ita penetremus; ut labilem ac fluxam vitam hanc sine offensa decurramus, & in Domo æternitatis beatæ aliquando conveniamus; ibidemque Dominum Deum nostrum, facie ad faciem videamus, amemus, laudemus & glorificemus in perpetuas æternitates. Sic precor & voveo animitus. Geistæ Anno 1712. 20. Februarii

Tuus in Christo servus humillimus

JOANNES DIRCKINCK S. J.

† 5

DE-





DEDICATIO, OBLATIO,  
Atque intentio Authoris.

DEO ÆTERNO,

Regi sæculorum immortalis,  
Infinito rerum omnium  
principio ac fini.

**Æ**ternitatis nunquam inchoa-  
tæ, nunquam finiendæ, nec  
ullis sæculorum myriadibus exhau-  
riendæ, Imperator immortalis,  
Rex & lex, forma & norma, fons  
& mensura omnis temporis & æ-  
ternitatis. Ego famulus tuus un-  
dequaque indignissimus, coram  
throno sempiternæ Majestatis tuæ,  
humillimè prostratus, quàm pos-  
sum dimississimè, Tibi dedico, of-  
fero,



## DEDICATIO.

fero, confecro, exiguum hoc de æternitate opusculum, omnesque ejus paginas, lineas, verba, grammata, & apices, in totidem animi grati, & amoris mei perpetui pignora & monumenta.

I. Præcipuè verò, dedico, offero & confecro tibi, omnem in eo adhibitum laborem, ad sanctissimum divinæ voluntatis tuæ beneplacitum; ad gaudium dulcissimi cordis tui; ad gustum & odorem suavitatis tuæ; ad maximum honorem, laudem, gloriam, adorationem, benedictionem, & patriæ cultum, tam in Ecclesia militante, quàm triumphante in æternum, sacrosanctæ Trinitatis tuæ. Atque ut intentiones hæc meæ, tibi gratiores accidant; eas unio, intentionibus, affectibusque purissimis, perfectissimis, sublimissimis, extensissimis, intensissimis, & insatiabilissimis,



## DEDICATIO.

mis, Angelicis, Cherubicis, Seraphicis, Marianis, Theandricis ac Divinis; ut hâc ratione cunctarum, vitæ meæ septuagenariæ, intentionum defectus, aliquo modo suppleam atque compensem.

II. Deinde laborem hunc exiguum, unâ cum omnibus vitæ meæ ad metum decurrentis fatigationibus & ærumnis; cum JESU, MARIÆ & Sanctorum omnium laboribus ac sudoribus pretiosissimis dedico, offero & consecro liberalitati tuæ ac Bonitati infinitæ, in gratiarum actionem debitam, pro innumerabilibus, & ineffabilibus beneficiis, donis, favoribus & gratiis, septuaginta annorum spatio, mihi licet indignissimo, præstitis; atque in omni vita reliqua, totâque æternitate, ut confido, præstandis.

Quis autem ea omnia ac singula vel cogitando, ne dicam enarrando,

do,



## DEDICATIO.

do, assequi valeat? Non enim solum, Conditor meus, creasti me, conservasti, & sustentasti me; *Verum etiam* ( loquor cum S. Augustino ) *de multis & magnis periculis saepe liberasti me; quando erravi, in viam reduxisti me; quando ignoravi, docuisti me; quando peccavi, corripuisti me; quando tristis fui, consolatus es me; quando desperavi, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, tenuisti me; quando ivi deduxisti me; quando veni, suscepisti me; quando dormivi, custodisti me; quando clama- vi, exaudisti me.* Soliloq. c. 13.

*Si quid unquam boni habui, à te recepi; si quando steti, per te steti; si quando cecidi, per me cecidi; & semper in luto jacuissem, nisi tu me erexisses; semper cecus fuisset, nisi tu me illuminas- ses; quando cecidi, nunquam surrexisset, nisi tu mihi manum porrexisset; postquam etiam me erexisti, sem-*



## DEDICATIO.

per cecidissem, nisi tu me sustinuisses,  
sepius perissem, nisi tu me guber-  
nasses.

Sic semper, Domine, sic semper gra-  
tia tua & misericordia tua praevenit  
me, liberans me ab omnibus malis, sal-  
vans à prae-teritis, suscitans à prae-sen-  
tibus, muniens à futuris: praecidens  
etiam ante me, laqueos peccatorum;  
tollens occasiones & causas; quia nisi  
tu hoc fecisses, ego omnia peccata mun-  
di fecissem. Quoniam scio, Domine,  
quòd nullum peccatum est, quod un-  
quam fecerit homo, quod non possit fa-  
cere alter homo, si Creator desit, à quo  
factus est homo. Sed quod non face-  
rem, tu fecisti; quod abstinerem tu jus-  
sisti; & quod tibi crederem, gratiam  
tu infudisti. S. Aug. Solil. c. 15.

Quare, Confitear tibi beneficia  
tua magna: quoniam eripuisti me de  
inferno inferiori semel & secundo &  
tertio & centies & millies, & ego sem-  
per



## DEDICATIO.

*per ad infernum tendebam, & tu me  
semper reducebas, & justè millies  
damnasses me, si voluisses. Noluiſti,  
quia amas animas. & dissimulas pecca-  
ta hominum, propter pœnitentiam.*  
S. Aug. solil. c. 18.

Taceo, alia innumera, ingentia  
bona ac dona, à charitate & bene-  
ficentia tua, in me immeritum pro-  
fecta: qualia sunt bona animæ &  
corporis, bona naturæ & gratiæ;  
bona communia mihi cum omni-  
bus, communia cum multis, com-  
munia cum paucis, & mihi pro-  
pria: bona data mihi à te, sine me;  
data mihi mecum, seu me coope-  
rante; data mihi per alios, data mi-  
hi propter alios, data mihi supra  
alios: data aliis propter me, data  
aliis per me; data aliis in me: bona  
inquam omnia, præterita præsen-  
tia & futura, temporalia & æterna.  
Pro quibus, cùm gratiis referendis  
impar



## DEDICATIO.

Impar sim: laudes & misericordia  
Domini in æternum cantabo, Psal  
88. 2.

III. Ulteriùs dedico, offero, &  
consecro, tenuem hanc opellam  
meam, sanctitati & puritati, iustitia  
& misericordiæ tuæ æternæ; in re-  
missionem, abolitionem, satisfac-  
tionem & compensationem, om-  
nium peccatorum, defectuum, er-  
rorum, negligentiarum, & imper-  
fectionum mearum; in omni vita  
mea septuagenaria, commissarum:  
propter quæ confundor & eru-  
besco, coram te, timeo, gemo, ac  
doleo. Tu, Domine, nosti omnia  
& singula delicta mea, gravia & le-  
via, propria & aliena; cordis, oris  
& operis; commissionis & omisso-  
nis; languoris & tepiditatis; incon-  
stantiæ & mutabilitatis; præcipi-  
tantiæ & inconsiderationis; dila-  
tionis & procrastinationis; curiosi-  
tatis



## DEDICATIO.

dia. tatis & distractionis ; delectatio-  
Psal nis & sensualitatis ; acerbitatis & a-  
maritudinis ; affectationis & hypo-  
o, & erisis ; excusationis & mei justifica-  
lam tionis ; confusionis & inordinatio-  
nitia nis ; humani respectûs & timoris,  
a re amoris proprii & vanitatis ; ac de-  
sfa- mum omnigenæ concupiscentiæ  
om- alterationis & passionis ; quibus  
er- pœnas commerui , tum ignis pur-  
per- gantis , tum perpetuæ damnatio-  
vita nis. Pro his igitur , magnis & par-  
um: vis, notis & ignotis , peccatis meis,  
ru- sempiternæ Deus , laborem hunc  
ac meum , meritis Redemptoris mei,  
nia Beatissimæ Virginis Mariæ , omni-  
le- umque Sanctorum unitum , cle-  
oris mentissimè acceptare , non de-  
tio- digneris.

IV. Denique si quid ab immen-  
pi- sa benignitate ac liberalitate tua,  
ula- flagitare liceat ; offero , dedico, ac  
si- confesco hoc opusculum meum  
atis  
exi-



## DEDICATIO.

exiguum & imperfectum, ad imper-  
trandum, quàm maximum, omni-  
um id lectorum fructum. Uti-  
nam, Deus æterne, opus de æter-  
nitate excellentissimum, numeris-  
que omnibus absolutum, concin-  
nare, ac tibi offerre valerem; quod  
oblivionem æternitatis, & negle-  
ctum considerationis ejus, univer-  
so ferè mundo, & cuivis hominum  
statui communem, eliminaret, ac  
memoriam, cognitionem, timo-  
rem & amorem æternitatis, omni-  
um cordibus, quàm profundissimè  
inculperet! Verùm cum id virium  
mearum tenuitatem superet; Ma-  
jestatem tuam divinam, supplex  
rogo; ut omnipotentia & energia  
tua infinita ( quæ ineptis æquè ac  
aptis instrumentis magna valet pa-  
trare ) defectum meum supplere  
dignetur, atque efficere; ut & ego,  
& quotquot hunc libellum, sive  
Eccle-



## DEDICATIO.

pe. Ecclesiastici, five Religiosi, five  
ni. mundani, legerint; ex ejus lectio-  
ti. ne, & consideratione; ita tangan-  
ter. tur, moveantur, & compungan-  
ris. tur; ut vitæ hujus, mundi, & bono-  
cin. rum ejus cordibus eorum detega-  
nod. tur, pateat, & vilescat, vanitas, in-  
gle. anitas, brevitatis; profundè verò iis  
er. inscribatur, rerum æternarum æ-  
um. terna æternitas, soliditas, digni-  
ac. tas, stabilitas & infinitas. Atque ita  
no. deinceps uni æternitati vivant, æ-  
ni. ternitati studeant, æternitati labo-  
mè. rent; atque ad Domum æternita-  
um. tis brevi ingrediendam, omni possi-  
a. bili curâ ac diligentia se præparent:  
ex. ut, finita brevi vitæ hujus periodo,  
gia. eam ingredi, & in ea Deum verum  
ac. ac vivum, æternum & infinitum,  
a. videre, amare, & possidere me-  
re. reantur *in æternum & ultra.*

o, Suscipe igitur, æterne Deus, hoc  
ve. munusculum, hæc vota ac deside-  
le. ria



## DEDICATIO.

ria mea ; atque ut secundum voluntatem tuam sanctam impleantur, annue ; efficacibusque gratiarum auxiliis assiste. Sic per merita Filii tui, per merita & intercessionem pretiosissimæ Parentis ejus omniumque Sanctorum, supplex & enixè rogat, optat, sperat ac desiderat

Sempiternæ, immensæ, infinitæ, summæ & adorandæ Majestatis tuæ

Famulus minimus, indignissimus obstrictissimus & ex asse totus.  
JOANNES DIRCKINCK.

PARS





# PARS I.

## DOMUS ÆTERNITATIS.

*Scopus hujus partis.*

**Q**uaternas Liber hic partes, quaternis anni temporibus respondentes complectitur. Pars prima, atrium seu propylæum Domûs, id est, prodroma sive præambula æternitatis; ejûsque naturam, durationem, subjecta & proprietates exponit. Secunda æternitatis beatæ gaudia & voluptates consideranda offert. Tertia damnatæ tormenta explicat. Quarta denique, varia salutis æternæ impedimenta & adjumenta seu media suggerit ac proponit. Scopus autem seu finis, hujus primæ partis, & aliarum est I. Considerantem ad bona divina, cælestia & æterna, maximi æstimanda, amanda atque unicè procuranda, excitare: nihil enim verè magnum, nihil magni æstimandum, nihil amandum, nihil admirandum est, nisi quod æternum est: quia, *qua finem habent.*

A

*habent.*



*Domus eternitatis: Consideratio  
habent, cum eternitate comparari non  
possunt. S. Aug. in Psal. 36. II. Finis est  
ad omnia mundi bona, tanquam fluxus  
ac momentanea, vilipendenda, spernen-  
daque animare: eternis inhianti, fastidiosa  
sunt transitoria, inquit S. Bern. ep. 3.  
III. Finis est, hominem, ad carnis blan-  
ditias, & vitia cuncta, quæ bonis æternis  
spoliant, atque ad mala perpetua dedu-  
cunt, frœnanda, abneganda, extirpan-  
da, permovere: ad hæc enim omnia, me-  
moriâ & consideratione æternitatis, vi-  
quidquam reperies efficacius: nam  
scribit S. Prosper L. 3. de vit. contemp.  
c. II. Cogitare quale malum sit; fieri pa-  
triam celestem extorrem; mori vitam beata-  
m morti vivere sempiternam; in æternum ignem  
cum diabolo & angelis eius, expelli; pro-  
fundo gehennæ fluctuantis immergi; bar-  
athri fumantis caligine oculos obcæcari; eda-  
cissimis in æternum dilaniari vermibus  
nec finire. Hæc & similia multa cogitare, ni-  
hil est aliud, quàm vitiis omnibus repud-  
ium dare, & omnia blandimenta car-  
nalia refrœnare. Hoc igitur  
fac, & vivis.*

CON



Januarii 1.

CONSIDERATIO I.

Domus æternitatis.

*Ibit homo in Domum æternitatis sua.*

*Eccles. c. 12. 15.*

*1. Die Januarii.*

**C**ONsidera, in primis Christiane Lector, priorem dictæ sententiæ, partem: *Ibit homo*, id est omnis homo *ibit in Domum æternitatis*, omnis, à primo, ad novissimum; à summo, ad infimum; omnis, omnis; nemo excipitur, Xerxes Rex potentissimus, ut refert S. Hieronymus: cùm de sublimi loco, infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flêsse dicitur, quòd post centum annos, nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus, subdit S. Doctor, ascendere in talem speculam, de qua universam terram, sub pedibus nostris cerneremus! jam tibi ostenderem totius orbis ruinas; gentes gentibus & regnis regna collisa; alios torqueri, alios necari; alios absorberi fluctibus; alios ad servitutem trahi; hinc nuptias.

A 2

ibi



4 *Domus æternitatis. Consideratio*  
*ibi planctum; illos nasci, istos mori; & non*  
*Xerxis tantum exercitum; sed totius mun-*  
*di homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio*  
*defuturos. Ac domum æternitatis suæ in-*  
*gressos. S. Hierony. in epitaph. Nepot.*

II. Ita est; hic est cursus mundi, *Omne*  
*morimur & quasi aquæ dilabimur in ter-*  
*ram. 2. Reg. 14. 14. Omnes judicamur*  
*omnes in domum æternitatis proficisci-*  
*mur. Percurre omnes mundi ætates, &*  
*hujus rei veritatem cernes. In primæ*  
*mundi ætate, ab Adamo, usque ad dilu-*  
*vium, fluxere anni 1656 & in his vixerunt*  
*multi hominum milliones; omnesque*  
*iverunt in domum æternitatis. Adam vixit*  
*annis 930. & mortuus est; Methusalem*  
*vixit annis 969. & mortuus est; Seth vixit*  
*annis 912. & mortuus est: atque ita reli-*  
*qui similiter, iveruntque tandem omnes*  
*in domum æternitatis.*

III. In secunda mundi ætate à dilu-  
vio, usque ad Abraham, transiêre anni  
292. In tertia, ab Abraham usque ad  
Moysen, & exitum Hebræorum ex Æ-  
gypto, anni 505. In quarta (ut com-  
putat S. Gregorius hom. 19. in Evang.)  
à Moysen



Januarii 1.

5

à Moÿse ad Christum, anni 1500. & in  
hisce ætatibus, vixere multi hominum  
milliones, omnesque migravere in do-  
mum æternitatis. A Christi Dominitem-  
pore usque huc fluxere anni 1712. in  
quibus multæ hominum extiterent myria-  
des, & hodieum vivunt facile ( ut Geo-  
metræ computant ) mille milliones, o-  
mnesque partim ivere, partim eunt, par-  
tim ibunt, tecum & mecum, in domum  
æternitatis.

*Actus fidei.*

**C**Redisne hoc, mi Lector? Credo, in-  
quis, quia hoc clamant Propheta; ;  
hoc prædicant Apostoli; hoc scribunt  
Evangelista; hoc ipse Christus Sapia  
& Veritas æterna testatur, unà cum Ec-  
clesiaste: *Ibit homo in domum æternitatis*  
*sua, l. c. sed si id credis, ubinam præpa-*  
*ratio? ubi dispositio? ubi ad iter tam*  
*longinquum & mansionem æternam*  
*subsidiarum & annonæ comparatio?*  
Romam profecturus, licet non diu illic  
substiturus, quàm sollicitè vestes, num-  
mos, equos, currus & alia conquiris; &

A ;

pro



**C** *Domus eternitatis: Consideratio*  
pro itinere ac domo æternitatis quantum  
lum præstas? Scilicet hæc est filiorum ho-  
jus sæculi prudentia, seu potius stultitia.  
*Omnes sumus in minimis cauti, in maxi-*  
*mis negligentes, quia ubi vera vita sit, igno-*  
*ramus.* S. Hierony. L. de hom. perf.

## O R A T I O

Pro felici æternitate

Considerationi, quotidie subjungenda

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui  
nos in beatæ ac damnatæ æterni-  
tatis bivio collocasti: quæsumus clemen-  
tiam tuam; ita vitam nostram mortalem  
dirige; ut vitatâ viâ latâ perditionis,  
damnatione perpetuâ, salutem æternam  
feliciter consequamur. Per Dominum  
nostrum Jesum Christum filium tuum &

2. Januarii.

1. **C**onsidera deinde *Domum eterni-*  
*tatis*, in quam tu, & omnis homo  
abit. Domus, quam modò incolis, non  
est domus tua, sed hospitium, aut taber-  
naculum: paulò post enim morieris,  
non vives; atque ab ipsis amicis tuis, fo-

tores



coram tuum pertasis, effereris, ad cæmi-  
 terium: & quænam erit ibi domus tua?  
 sepulchrum. Nam textus Chaldæus ha-  
 bet, *Ibit homo in domum sepulchri sui.* Cui  
 consonare videtur David, inquiens: *se-  
 pulchra eorum, domus illorum in æternum.*  
 Psal. 48. 12. Verùm nec sepulchrum  
 propriè domus æternitatis tuæ est: quia  
 in illo non semper manebis, nec in illud  
 ibis; sed ab aliis deportaberis.

II. Quænam igitur est *Domus æternita-  
 tis?* Audi S. Augustinum, in Psal. 26. &  
 131. *Domus dicitur vita aterna, ubi sem-  
 per manebimus. In ista peregrinatione, di-  
 citur quidem domus; sed propriè taberna-  
 culum appellatur: tabernaculum peregri-  
 nantium, & quodammodo militantium &  
 adversus hostes pugnantium est. Ergo hie  
 tabernaculum, ibi Domus. Quamdiu ergo  
 habemus hostem, cum quo pugnemus, ta-  
 bernaculum Deo facimus; cum autem  
 transierit tempus pugnae, & venerit pax il-  
 la, qua præcellit omnem intellectum, & pa-  
 tria; jam domus erit: quidenim dicitur de  
 domo illa: *Beati qui habitant in domo tua  
 Domine, in secula seculorum laudabunt te.**



8 *Domus aeternitatis: Consideratio*  
*In tabernaculo adhuc gemimus, in domo*  
*laudabimus; quia gemitus est peregrinatio*  
*tium, laudatio, iam in patria & in domo*  
*commorantium. Sed & alia est domus aeternitatis*  
*reproborum.*

III. Utra verò tibi obtinget *Domus aeternitatis*? Aut cœlestis; si Mundum, Carnem, ac Diabolum deviceris; aut infernalis; si devictus, prostratusque fueris. Tertia enim aeternitatis *Domus* pro nusquam reperitur. Alterutra igitur tibi est longè certissima. Utraque autem aeterna: quia secundum Dei decretum aeternum, nec tempestate evertetur, nec igne absumetur, nec vetustate collabitur, nec ab ullo unquam diruetur; sed intacta perstabit in aeternum. Ah! quid hoc, *in aeternum*? Cogita tot annorum myriades, quot sunt arenæ, in cunctis mundi montibus; cogita tot sæculorum milliones, quot fuerunt guttæ, in aqua diluvii, totum terrarum orbem inundantibus; & adhuc nihil vel concepisti, vel ademisti de aeternitate.

Affe



*Affectus doloris.*

**O** DEUS æterne! quàm doleo, me tam rarò hæctenus cogitasse de domo æternitatis! Quàm deploro, me centies magis sollicitum fuisse pro tabernaculo; quàm pro æterna domo? Ah! quid est habitare in domo mala, vel bona; commoda, vel incommoda in æternum? Est id quod nunquam finem habebit, nunquam, nunquam; sed quod innumerabilibus durabit sæculis, nec unquam cessabit durare. O anima! si tanto molimine caves, ne domus tua, magnis exstructa impensis, collabatur ex stillicidiis; aut lite perditâ, occupetur ab adversariis; aut diripiatur, evertaturve à militibus; quantâ sollicitudine opus erit, pro domo beatæ æternitatis?

## 3. Januarii.

**I.** Xpende denique ultima dicti thematis verba; Ibit homo in domum, æternitatis suæ. Per quæ Spiritus sanctus erudire nos voluit, i. ne fortè cogitaremus, domum quidem fore æternam, at non habitationem: sed ut sciremus, & in-

A S

colam,



10 *Domus aternitatis: Consideratio*  
colam, & domum, & inhabitationem  
fore æternam: sicut non tantum ignis, in  
inferno, æternus erit; sed etiam combu-  
stio. Dabit enim ignem & vermes, in car-  
nes eorum, ut urantur; & sentiant usque in  
sempiternum. Judith. c. 16. 21. Deinde  
de quemadmodum hic, quilibet sibi do-  
mum vel emit, vel construit; atque ita  
sibi propriam reddit, ac suam facit; ita  
unumquemque mortalem oportere sibi  
vel emere, vel ædificare in hac vita, do-  
mum æternitatis.

II. Veluti ille in Evangelio, qui inven-  
it unam margaritam pretiosam, vendidit omnia  
que habuit, & emit eam. Matth. c. 13. 46  
Ita quoque volens domum ac margari-  
tam pretiosam æternitatis sibi coemere  
vendit omnia, quæ habet; omnia deserit  
saltem affectu, amorem inordinatum  
exuit, omnia despicit; ut emit eam: qui-  
libet autem emit sibi domum æternitatis  
felicis oratione, emit jejunio, emit elee-  
mosynâ, emit paupertate spiritûs, emit  
abnegatione sui; ut hac ratione in domo  
cœlesti, vitam æternam possideat. Sicut  
ex adverso, domus æternitatis infelicis,  
adul-



adulterinâ peccatorum, scelerumque monetâ acquiritur, & possidetur. Visne scire, quam tu tibi coëmas? attende ad monetam, quam exponis. Qualis enim pecunia, talis merx.

III. Unusquisque etiam, in hac vita, domum æternitatis sibi fabricat, quam postmodum inhabitet: quot opera bona peragit, quot virtutes exercet: tot quasi lateres & lapides, pro domo beatæ æternitatis locat, & calce charitatis illinit ac conjungit. Atque ita domus præclara exurgit, quæ usque ad cælum ascendit: *Quod est fastigium construenda fabrica, quam molimur? Quò perventurum est cacumen edificii? citò dico, usque ad conspectum Dei.* ait S. Aug. ser. 10. de verb. Dom. E contrario: quot impius crimina, quot opera mala patrat: totidem pro domo æternitatis suæ damnatæ, saxa saxis imponit; tot ligna & tigna, tot postes & trabes, domûs æternùm flagraturæ, construit: atque ita quisque in hac vita

*Domûs æternitatis suæ, faber & architectus est,*



*Affectus compassionis.*

**Q**uam felix est, qui assidue beata  
 æternitati laborat & fabricat! Quam  
 cheu! infelix est, qui tempus nobile Do-  
 mui cœlesti ædificandæ concessum, æter-  
 no carceri sibi exstruendo insumit! O  
 quam compatior illi, uti & tot millioni-  
 bus, prô dolor! triplo majorem, quam  
 pro cœlo opus esset, inferno sibi fabri-  
 cando, laborem impendentibus! qui  
 enim non agunt, quid non sustinent im-  
 pii; ut superbiæ, iræ, avaritiæ, gulæ &  
 luxuriæ suæ faciant satîs? Verè martyre  
 diaboli, carnifices sui, architecti inferni.  
 Habe velut oraculum, dictum S. Vin-  
 centii Ferrerii: *In paradiso nullus invenit  
 domum, ad quiescendum; nisi in hoc  
 mundo sibi ædificet.* Serm. 1.

Fer. 2. post oc.



CON.



## CONSIDERATIO II.

Bivium Domûs æternitatis.

*Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus deducunt ad mortem.*

Proverb. c. 14. 12.

4. Januarii.

I. **C**onsidera, & *Domum* æternitatis, & *viam* ad illam, & *viatorem*, duplicem esse. Primò quidem duplex est *Domus* & meta æternitatis: ad quam diu, noctûque properamus. Utraque est duratione similis; sed conditione longè diversa: una enim est domus luctûs, altera convivii: una est elevata supra mundum; altera depressa infra abyssum: una divini luminis splendore illustrata; altera horrore plena & obducta caligine: una in regno vitæ, repleta omni felicitate; altera miseris obruta, in mortis tyrannide: in una omnes consolationum æternarum torrente inebriantur; in altera cuncti perpetuis cruciantur incendiis, suppliciiisque horrendis torquentur. Ecce *Domus* gemina, ecce duplex meta, in

▲ 7

qua



14 *Domus eternitatis: Consideratio*  
qua æternitas habitat, nunquam inde  
egressura.

II. Duplex quoque est *Viator*: unus  
est divinæ legis observator: alter ejusdem  
prævaricator: unus sectator & imitator  
Christi; alter assecla diaboli: unus secun-  
dum morem cōmunem, legesque mundi  
perverfas: alter secundum leges Christi  
sanctas, vitam instituens: unus crucifi-  
gens membra sua cum vitiis & concu-  
piscentiis: alter iisdem frœna laxans  
unus denique ob merita Christi & coo-  
perationem suam prædestinatus, cum  
Sanctis, ad gloriam: alter ob scelera sua  
cum epulonibus, helluonibus, & leno-  
nibus, reprobatus ad pœnam.

III. Qualis autem in hac vita, mi Le-  
ctor, eris viator, talis in altera eris com-  
prehensor vel habitator. Certo enim cer-  
tiùs, aut hœdus eris aut agnus: aut piscis  
malus foras mittendus; aut piscis bonus  
in vasa colligendus: eris aut granum in  
horreum recondendum; aut palea igni  
inextinguibili comburenda; eris aut zi-  
zania in fasciculos colligenda ad focum:  
aut triticum ad metendum & colligen-  
dum.



dum: eris aut arbor ad Austrum, aut ad aquilonem lapsa: aut lignum aridum, aut lignum viride; aut palmes præcisus, in ignem missus; aut permanens in vite, in perpetuo flore & vigore. Ah! qualis nam tu eris? Ignoras? Ex via, quam tenes, signa prognostica cape, de viatore & meta, de Domo & incola.

*Actus fidei.*

**C**Redo, Domine, cœlum; credo infernum! credo me ab horum alterutro infallibiliter expectari! ut enim fide certum est, esse cœlum, esse infernum, esse Deum; ita quoque fide certum est: mihi, aut beatitudinem æternam in paradiso, aut damnationem perpetuam, in ergastulo tartareo, obventuram: neque enim datur medium. Et quia futuram Domum meam ignoro; totus tremo & cohorresco. Fac, Domine, ut sim Viator pius & prudens, legis tuæ exactus observator, non prævaricator; Viator carnem crucifigens cum vitiis; non frœna laxans pravis concupiscentiis: atque ita velut triticum electum, in Domum æternitatis bea-



16 *Domus aternitatis: Consideratio*  
*tæ invehar: quia Si commortui sumus,*  
*convivemus. 2. Tim. c. 2. 11.*

*5. Januarii.*

I. Sicut duplex meta; duplèxque datu  
viator; ita pariter & *via ad æterni*  
*tatis Domum, est duplex.* Herculi id a  
tatis agenti, quando de tota vita, delibe  
ratio sumenda est; multùmque dubitan  
ti, cuinam vitæ generi sese accommoda  
ret; adstitisse narrant duas matronas, vi  
tutem scilicet & voluptatem, hanc com  
ptam nitido, hilarique vultu; at subtr  
stem illam, & sordido habitu: Cùmque  
jocos illa & delicias, omnemque bono  
rum affluentiam, si se præligeret, polli  
ceretur; hæc verò famem & sitim; æstus  
ac frigora & quidquid triste ac durum  
excogitari posset; sed horum tandem  
gloriam & felicitatem, finem esse futu  
rum: altiore ipse salubriorèque usus con  
silio, rejectâ voluptate, virtutis viam, li  
cet duriozem, asperiorèmq; est secu  
tus. Cognatus L. 2. narrat.

II. Hæc sive fabula, sive emblemata,  
sive apologus; veritatem in se latentem

tibi



tibi ob oculos ponit. Quemadmodum enim Herculi duplex via ostensa fuit atque alterutra ex iis eligenda proposita, & quidem asperior, si gloriã, felicitatẽmque desideraret. Ita & tibi & cuivis homini, via duplex proponitur, in oppositos e diametro, se flectens terminos. Ut enim via tendens ad septentrionem, non perducit ad austrum; ita via pergens ad orientem, ad cœlestem patriam non dirigit: & quidem, quo magis de via, ad sinistram progredieris; eò magis à meta ac termino viæ, ad dexteram, elongaris; & vice versa. Quanta igitur in electione viæ, opus est cautela atque prudentia?

III. Examina proinde, quodnam sit duplicis hujus viæ discrimen: ne in electione, errorem committas irreparabilem. Una est via recta, ducens ad sidera sursum; altera obliqua, & amfractuosa, seducens ad Tartara deorsum; una sepitur spinis; rosas altera sternitur: una est vitii & voluptatis, amœna carni & sensibus, altera est virtutis, dura & aspera hominibus sensualibus; una mandatorum Dei, altera peccatorum: una justitiæ, altera



18 *Domus aternitatis: Consideratio*  
tera iniquitatis: una veritatis, altera me-  
dicii: una temperantiæ, sobrietatis  
castitatis; altera gulæ, ebrietatis, & li-  
clinis: una denique vitæ perpetuæ; alte-  
mortis sempiternæ. O quanta viæ hujus  
geminæ distantia!

*Admonitio.*

**E**cce do coram vobis, viam vitæ & mor-  
tis. Jerem. c. 21. Ecce, panti-  
tibi viam cœli & inferni; si per hanc i-  
cesseris, in latrones stygios incidēs, à quibus  
vitâ & bonis omnibus spoliatus,  
carcerem avernalem detruderis: sin autem  
per illam iveris; per manus SS. An-  
gelorum super astra exaltaberis. Vide  
Viator, quid agas: quid eligas decerne  
velut olim Hercules, stas in bivio, virtutis  
& vitii: inter duas metas aut domo  
inter duas abyssos consistis medius: tu  
met miles in bivio, ne declinet ad hoste  
mercator in bivio, ad prædones; nauticus  
ad scopulos: & tu omnem sollicitudinem  
& curam, in bivio aternitatis, depones  
Hic semel errasse, aternum errasse; semel  
periisse, aternum periisse est.



## 6. Januarii.

I. **B**ene igitur perpendendum cuilibet Christiano est, ac norandum: viam in domum æternitatis semel duntaxat absolvi; nemini enim à meta, ad carceres redire datur: nemini errore commisso, viam eandem relegere, ac remetiri conceditur. *Ecce, ait Job, c. 16. 23. breves anni transeunt, & semitam, per quam non revertar, ambulo.* Hæc via, hæc semita, vita humana est, quæ semel tantum decurritur: felix, qui datis in ea occasionibus, cœlestes thesauros acquirendi, uti novit: infelix qui negligit. Quia redire, damnûmque compensare, in æternum, non licebit.

II. Cogita, certumque habe; neminem damnatorum fore, si Divina Bonitas eum ab orco liberaret, viamque vitæ denuò auspicari indulgeret; qui non tempus nobile, quàm fructuosissimè collocaret. O quantâ curâ, quanto studio, quantâ sollicitudine advigilaret, ne vel momentum, absque emolumento elaberetur? quàm austeram ageret pœnitentiam? quàm



20 *Domus aternitatis: Consideratio*  
quàm rigidam institueret vitam? quibus  
precibus, jejuniis, eleemosynis numen suum  
premiu sibi placaret? quàm heroicè  
omnigenæ virtutis actus exerceret? V  
rùm serò sapiunt Phryges; actum est,  
æternam gratiam hanc, damnatorum  
nemo consequetur: *Semitam, per quam*  
*non revertar, ambulo.* l. c. Laborandum  
igitur nunc est strenuè, ne absque fructu  
breves anni nostri transeant.

III. Elapso vitæ & viæ cursu, nulli  
mortalium conceditur, ullum opus mi  
ratorum, pro gloria Dei & animæ suæ  
salute, amplius peragere: *Tempus enim*  
*erit amplius.* Unde rectè Job ait: *Non*  
*revertetur oculus meus ut videat bona*  
77. Ad videndum bona, exponit S. Gre  
gorius, *extincti oculus non revertitur; qui*  
*ad exhibenda recta opera, carne exuta*  
*nima, non recurrit.* L. 8. Moral. c. 12. *Non*  
*revertetur oculus meus, ut videat bona*  
temporalia, quæ reliquit: nec ut videat  
amicos & cognatos, quos deseruit: nec ut  
videat & exerceat opera bona, quæ ne  
gligit. *Ergo dum tempus habes, opera*  
*bonum.*

*Petitio*



## Petitio.

**O** Domine! qui pravenisti me, antequam nascerer, preparans mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam Domus tua. S. Aug. Solil. c. 26. Metamque beatitudinis æternæ attingerem: vide, obsecro, num in semitis hisce ambulem: & si quidem ambulo; iter promove, atque ad omne bonum me impelle: sin aberro, errantem corrige; ne errorem committam, quem tota emendare nequeat æternitas. *Est enim via, qua videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Proverb. c. 14. 12.

## CONSIDERATIO III.

Spatiosa via Domus damnatæ æternitatis.

*Spatiosa via est, que ducit ad perditionem.*

Matth. c. 7. 13.

## 7. Januarii.

**H**Uc adeste, peccatores presumptuosi, qui per viam, licet lubricam, licet cæno peccatorum refertam, vos nullo negotio confiditis perventuros

ad



22 *Domus eternitatis; Consideratio*  
ad astra: atque asserere audetis, cœlum  
hominibus, non anseribus conditum esse.  
Expendite bene, verbi divini oracula:  
facile corrigetis errorem. Primum ora-  
culum, & à Christo, Veritate æterna, pro-  
latum; quo clarè damnandorum multi-  
tudinem ob oculos ponit: *Intrate, inquit,  
per angustam portam: quia lata porta  
spatiosa via est, qua ducit ad perditionem.  
& multi sunt, qui intrant per eam.* Matt.  
c. 7. 13.

II. Considerate hanc viam. *Spatiosa*  
*via* dicitur, quæ multos simul transeun-  
tes capit: spatiosa via est, per quam multi  
currunt, & turmatim ruunt; per quam  
currus & equites permeare valent. Eju-  
smodi via est, quæ, teste Christo, ducit ad  
perditionem. Duæ sunt viæ ait S. Ambro-  
sius in Psal. i. *Una justorum, altera peccato-  
rum; justorum via angustior est, injusto-  
rum latior: illa sobrietatis angustior; he-  
brietatis latior, ut possit capere fluctuante.*  
*Hic libertas; cupiditatum, illic servitutum;*  
*injuria; hic convivium, illic jejunium: hic*  
*intemperantia gaudiorum, illic perseveran-*  
*tia lacrymarum: hic saltatio, illic oratio.*



io; hęc cantus dulces; illic gemitus graves.  
 Heu! quàm multi, hanc viam spatiosam  
 : terunt!

III. Perpendite, obsecro; verba Chri-  
 sti: *Multi sunt, qui intrant per eam. l. c.*  
 An non, prò dolor! ita est? omnino.  
*Multi sunt*, non centeni, non milleni; sed  
 milliones Ethnicorum, Turcarum, Sara-  
 cenorum, Maurorum, Indorum, Brasilo-  
 rum, Chinesium & Japonum, veri Dei  
 & Redemptoris nostri fide, & cognitio-  
 ne carentium: *qui intrant per eam. Multi  
 sunt* milliones Hæreticorum, Schismati-  
 corum, Atheorum, verâ fide orthodoxâ  
 destitutorum, *qui intrant per eam. Multi  
 sunt* milliones malorum Christianorum,  
 Catholicorum, superbiorum, avarorum,  
 luxuriosorum, in peccatis suis morien-  
 tium, *qui intrant per eam. Verè infernus  
 dilatavit animã suam, & aperuit os suum,  
 absque ullo termino, & descendent fortes  
 ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique  
 ejus in eum. Isaia c. 5. 14.*

*Affectus zeli animarum.*

**O** Si possem ( ut desiderabat S. Ca-  
 tharina Senensis ) me collocare ad



24 *Domus aternitatis: Consideratio*  
os inferni, illudque obturare, ne ulla de  
inceps anima, in illum decideret; quam  
id libens præstarem! Cùm verò id ne  
queam, desidero saltem opponere hunc  
librum: Deumque, ex intimo animi fen  
su, supplex rogo; tantum illi virtutis tri  
buat, ut uni saltem alicui claudat immen  
sam illam voraginem, quæ nunquam de  
vorando satiatur. At quisnam erit un  
ille? Tu, tu, mi Lector. Solùm tolle leg  
tolle lege: & quæ hîc proponuntur æte  
na, perpende. *Memorare novissima tuis*  
*Et in æternum non peccabis. Eccli. c. 70. 4 hor*  
ac proinde nec in æternum damnaberis nu

8. Januarii.

I. **O**Raculum secundum est ejusdem  
Veritatis æternæ. Matth. c. 22. 14 qu  
*Multi sunt vocati, pauci verò electi. Quo*  
meritò omnibus mortalibus, præsertim per  
tepidis ac negligentibus, timorem ingen  
tem incutiat, atque ad curam salutis su  
gularem, ac fervorem impellat; ut per  
bona opera, certam vocationem & ele  
ctionem suam, facere satagant. *Terribi*  
*est quod sequitur, ait S. Gregorius Hom*



19. in Evang. *Multi sunt vocati, pauci  
verò electi: quia ad fidem plures veniunt,  
& ad cœleste regnum pauci perducuntur.*

II. Perpende nonnihil hanc multitu-  
dinem & paucitatem. *Multi sunt vocati*  
è Judaismo, de quibus præcipuè loque-  
batur Christus, *pauci verò per ipsum con-*  
*versi & electi. Multi sunt vocati etiam è*  
*Gentibus; pauci verò electi, quia vitam*  
*gentilem, & bestialem non deserunt.*  
*Multi sunt vocati è fidelibus, & Christia-*  
*nis in Evangelio, Matth. c. 22. 12. quos*  
*homo, fide præditus; sed veste charitatis*  
*benuptiali destitutus, significat; sed pauci*  
*electi, quia dilectione Dei & proximi,*  
*privati. Multi sunt vocati è peccatoribus;*  
*ut pœnitentiam agant; pauci verò electi,*  
*qui dignos pœnitentiæ fructus faciant.*  
*Multi sunt vocati, ut Sacramenta divina*  
*percipiant; ut vitam Christiano dignam*  
*agant: pauci verò electi, qui ad ea se rite*  
*disponant, larga ex eis gratiæ dona refe-*  
*rant; & moribus, Christi vitam, ex-*  
*primant.*

III. *Multi sunt vocati, præsertim è*  
*clero, ad infulas, ad dignitates, ad curam*



26 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
animarum: pauci verò electi; qui dignam, statu suo sublimi, vitam ducant, justitiam debitè administrent; oves suarumque earumque salutem, non earum lanam quærant. Multi sunt vocati, ad statum religiosum; pauci verò electi, qui carnalium mundòque mortui, & crucifixi, toto conatu montem perfectionis conscendant. Multi sunt vocati, ad officia sæcularia; pauci verò electi; qui sobriè justè, ac vivant, in hoc sæculo, & beatam spei adventumque gloriæ magni Dei, imitativo corde, ac vultu erecto, præstare valeant. Inspice intimos conscientiarum sinus; vide num multis, an verò paucis accensendus. *Vive cum paucis si vis agnare cum paucis.*

*Affectus doloris.*

**O** Salvator mi! quàm doleo sanguinem tuum pretiosum, pro multis imò pro omnibus effusum, adeò paucis esse salutarem! ô quam compatior, tibi multis, Judæis, Ethnicis, Christianis, cum cœlestem gloriã vocatis; sed eã excidit tibus, & ad inferni tormenta descendit tibus.



tibus! ô Christiane! ô Clerice! ô Religio-  
se! ne sequaris *multos*, statûs tui collegas,  
dissolutiores & laxiores; sed *paucos*, me-  
liora charisimata æmulantes, & ad per-  
fectiora tendentes; ne cum multis, viam  
latiorem tenentibus, reproberis. Audi S.  
Eucheriu Episcopu: *Ad negligentiam vite*  
*non nos negligentium turba persuadeat: nec*  
*ad damnum propria salutis, alienis duca-*  
*mur erroribus. Quid nobis in illo die pro-*  
*derit multitudo; ubi sola examinatio meri-*  
*torum, actus quemque, non populus absol-*  
*vit?* Epist. ad Valer. Nepotem.

## 9. Januarii.

I. TERTIUM oraculum est Isaia Prophe-  
tæ c. 24. 13. Vaticinantis: *Hæc*  
*erunt in medio terra, in medio populorum:*  
*quomodo si pauca olive, que remanserunt,*  
*ang excutiantur ex olea, & racemi cum fuerit*  
*in finita vindemia. Hi levabunt vocem suam,*  
*pauatque laudabunt, cum glorificatus fuerit*  
 *Dominus. Loquitur hic Propheta, (ut*  
 *cum S. Hieronymo, S. Thoma & aliis*  
 *docent Interpretes) de salvandis in fine*  
 *mundi. Hæc erunt in medio terra, scilicet*



28 *Domus aternitatis Consideratio*  
in Jerulalem, seu valle Josaphat, quæ ubi  
bem à monte olivarum dividit. Ibi enim  
celebrabitur universale iudicium, ut legi-  
tur Joëlis c. 3. 2. *Quomodo si pauca olive  
qua remanserunt, excutiantur ex oleo  
Multæ olive, ait S. Hieronymus, cadunt  
in terram, cum primum excutitur oleum  
pauca remanent: sicut & pauca uva remanent  
in vitibus, finita vindemiâ. Sic multi  
damnantur, pauci saluantur.*

II. Quartum oraculum est ejusdem  
Prophetæ Isaïæ c. 10. 19. qui sicut ait  
paucitatem electorum, comparavit cum  
racemis, finita vindemiâ; ita nunc eos de  
componit, cum paucitate lignorum, qui  
remanent succisâ silvâ. *Et reliquiae lignorum  
saltus ejus, pro paucitate numerabuntur  
& puer scribet eos. Id est erunt pauci, qui  
salventur, & facile numerabiles; ita ut  
puero, vix paucas exarante notas, scribi  
queant. Deinde & puer scribet eos: scilicet  
iste puer ( ut exponit Eusebius L. 2. c. 24.  
demonst. Evang. c. 40 ) qui de Virgine  
natus est: qui ut loquitur S. Gregorius  
*Apparuit in carne; ut electos describeret  
eternitate. A quo pauci scribuntur in**



bro electorum, multi à diabolo notantur, in codice reproborum.

III. Quintum oraculum est Michææ Prophetæ c. 7. 1. ubi lugens queritur: *Vae mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemia: præcoquas ficus desideravit anima mea.* Textus Syrus, Arabicus, Chaldæus, & 70. sic exponunt: *Quia factus sum, sicut qui congregat stipulam in messe, & sicut qui colligit racemos in vindemia.* Sicut finitâ messe, pauca ipicæ, à messore relictæ, colliguntur & pauca uvæ post vindemiam reliquæ, decerpuntur: & ficus præcoquæ seu ante tempus maturæ, pauca reperiuntur: Sic multi sunt vocati, pauci electi: multi fiunt præda & esca diaboli, atque ab eo premuntur, & calcantur in torculari inferni: pauci cedunt Christo. Hinc addit Prophetæ l. c. v. 2. *Periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.* Sancti enim & recti, cum multitudine malorum, comparati, vix ulli dici queunt, ideóque de terra periisse dicuntur.



30 *Domus eternitatis, Consideratio  
Affectus timoris.*

**C**Ohorro totus, Deus juste & metue  
de, tantam reproborum multitu  
dinem, tantamque electorum paucit  
atem perpendens! O quis, nisi amens  
omni studio possibili non allaboret,  
aliquando accenseatur paucis, tunc  
cem levaturis, Deumque glorificatu  
in secula? Quis non omnem adhibe  
curam, ut evadat oliva matura, non  
murcam; sed clarum præbens oleum  
sericordiae & benignitatis? Quis non  
sudet totis viribus, ut sit uva excoccta,  
vappam, sed vinum dans generosum  
præstans compunctionis ac divini an  
ris? Quis non contendat; ut sit ficus pr  
coqua & matura; habens non acerb  
tem iniquitatis, sed dulcedinem prob  
tis? ut sit lignum non sterile; sed fruct  
ferum, aliàs cum silvis integris, ex  
cidendum & in ignem mit  
tendum.



CO



## CONSIDERATIO IV.

Arcta via Domûs beatæ æternitatis.

*Arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Matth. c. 7. 14.*

10. Januarii.

I. **M**ultitudinem damnandorum, ac paucitatem salvandorum comprobavimus verbi divini oraculis; nunc eandem veritatem, figuris & similitudinibus confirmemus. Prima figura nobis præbetur in cataclysmo, seu universalis mundi diluvio: quando nimirum Rupti sunt omnes fontes abyssi magna, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluvia super omnem terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus; consumptaque est omnis caro, quæ movetur super terram; ab homine usque ad pecus; præter Noe & eos, qui cum eo erant in Arca. Gen. c. 7. 11. 21.

II. Considera, quæ calamitas, quæ miseria, quæ pœna hæc fuerit: omnes mundi totius incolæ, aquis inundantibus & altissima montium cacumina superantibus, hauriuntur ac submerguntur: &



32 *Domus aternitatis Consideratio*  
pauci, id est, octo solum animæ, in ar  
Noë salvantur. 1. Petri c. 3. 20. Hæc  
tem arca, ex mente ejusdem Apostoli  
gura fuit Ecclesiæ, in qua fideles,  
baptismum salvi evadunt; illique, in  
pereuntium sunt pauci; veluti in a  
fuere pauci. Quis hæc perpendens  
horrore salutari concutiat? Tot mi  
na millia, absorbentur undâ, tam pa  
salvantur in arca!

III. Figura secunda fuit everio U  
Jericho, salvâ solâ domunculâ mulie  
nomine Rahab, ut legimus, Josue c. 2.  
25. *Jericho* enim, ut notat S. Gregor  
hom. 2. in Evang. *idem sonat ac luna*,  
mundi hujus instabilitatem designat  
*Muri autem Jericho, clangentibus tu*  
*illico corruentes.* Josue c. 6. mundi p  
figurant excidium, complendum in  
tremo die judicii, in *novissima tuba*. 1. 1. Cor  
rinth. c. 15. Rahab autem, quæ sola  
vata est cum paucis, figura fuit saly  
dorum, ipsa enim per funiculum co  
neum, qui crucis ac passionis Christi  
signaculum; in medio impiorû, salut  
reperit: & ut de ea ait S. Chrystostom  
ho



hom. 5. de pœnit. *Velut in lotabro confusa  
margarita, aurum in luto abjectum, flos  
spinis confossus, religiosa anima, inclusa in  
loco impietatis. Rahab igitur sola salva-  
tur, ex operibus justificata. Jacobi cap.  
2. 25.*

*Affectus timoris.*

**O** Domine! dum ex una parte, animas  
tam paucas diluvio universali ere-  
ptas; ac solam Rahab ex concivibus ser-  
vatam perpendo: ex altera verò parte,  
dum considero peccata mea, dum iudicium  
tuum formido, dum mortis horam cogito,  
dum supplicia Tartari horreo, dum opera  
mea, quâ districtione & discussione à te pen-  
sentur ignoro; dum quo sine illa clausurus  
sum, penitus nescio (S. Aug. man. c. 9.) an nō  
meritò expavescō? & ne mundi diluvio  
involvar, jure timeo? ne autem peream,  
gemens ac tremens ad pietatem tuam in-  
finitam confugio ac supplex oro: *Sal-  
vum me fac in misericordia tua: Domine,  
non confundar, quoniam invocavi te.*

*Psal. 30. 17.*



11. Januarii.

I. **F**igura tertia exhibetur nobis, in exitu tu Israelis de Ægypto : quando sexcenta virorum millia, demptis mulieribus, parvulis & famulis, ad numerum decuplo viris majorem, facile ascenderunt, exivêre, ac duo duntaxat, scilicet Josue & Caleb, terram promissionis ingredi meruerunt. Figuram hanc luculentam exponit Apostolus 1. Corinth. c. 10. *1. Patres, inquit, nostri, omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, omnes in Moyse baptizati sunt in nube in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt; sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem omnia in figura contingebant illis.*

II. Expende hæc verba Apostoli, penetres, fructumque inde haurias. *Patres nostri, inquit, id est Patres Hebræorum ex Ægypto, in terram promissionis proficilcentium. Omnes baptizati sunt in nube & in mari: nempe præcedente et levi columnâ nubis; in mari rubro, vel in baptisimo veri figura, tincti sunt. Et omnes*

candide



eandem escam spiritalem manducaverunt; scilicet manna, Eucharistiæ figuram. Et omnes eundem potum spiritalem biberunt, de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus. Biberunt de petra scaturiente, per fidem scilicet in Christum venturum, jam pridem Abrahamæ promissum. Et tamen non in pluribus eorum beneplacitum est Deo: tot enim millia in deserto prostrata sunt, binis solùm terram Chanana ingrediētibus. O quis nō paveat?

III. Considera denique hanc fuisse figuram prædestinatorum & reproborum; ait enim Apostolus l. c. *Hec autem omnia, in figura; contigisse illis.* Sed quomodo? Terra promissa erat figura æternæ cæli patriæ: desertum, figura hujus vitæ: Hebræi baptizati in mari rubro, credentesque in Christum venturum, figura fidelium; existentium in Ecclesia post Christum: Hebræi mortui in deserto, & exclusi terrâ promissionis, figura reproborum, ex fidelibus: Josue & Caleb intrantes terram promissam, figura electorum: ut docet S. Gregor. in Psal. 7. *pœnit.* Ecce quàm multi excluduntur,



36 *Domus eternitatis Consideratio*  
quàm pauci ingrediuntur terram de-  
derabilem!

*Affectus horroris.*

**O** Peccatores cæci! tantâ audaciâ  
proterviâ indies in scelera lethala  
prouentes, & tamen de cœlestis Cha-  
naan ingressu vobis blandientes; atten-  
dite & videte: *non transitorie & negligenter;*  
*sed cum ingenti tremore considerate*  
*quia de sexcentis millibus, duo tantum te-*  
*ram promissionis ingressi sunt.* S. Aug. ser-  
102. de Temp. Attendite & videte, quæ  
iudicia Dei sint abyssus multa, quàm  
ipse sit *terribilis, in consiliis super filios ho-*  
*minum.* Psal. 65. Et cum timore & tre-  
more salutem vestram operamini; ne cum  
tot centenis millibus in deserto prostra-  
tis, excludamini; sed annumeremini  
paucis, Chanaan cœlestem ingredien-  
tibus.

*12. Januarii.*

**I.** **Q**uanta figura multitudinem dan-  
nandorum ac salvandorum pa-  
citatem representans, est incendium  
pentapolitanum, quo Sodoma, Gomo-



ra, Adama & Seboim, igne cœlitus demisso conflagrârunt. *Pluit Dominus, ait sacer textus, super Sodomam & Gomorram, sulphur & ignem, à Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, & universos habitatores urbium, & cuncta terra virentia.* Gen. c.

19. 24. Incendium hoc figura fuit ex remi Judicii: quando orbis conflagrabit. Loth verò & uxor ejus, ac duæ filiæ, incendio per Angelos ereptæ, figura sunt electorum; reliqui omnes, igne sulphureo pereuntes, reproborum: Veniet enim Dominus judicare sæculum per ignem. Dicetque reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum.* O quis impiorum non tremat?

II. Quinta figura, eandem nobis ob oculos ponens veritatem, desumitur ex Libro Judicum c. 7. ubi ex triginta duobus millibus, qui erant in exercitu, Gedeon elegit tantum trecentos, qui victoriam de hostibus reportarent; reliquos omnes reprobavit. Expende hîc Gedeonem exercitûs Ducem, apertam Christi præferre figuram, ut scribit S. Augustinus serm. 108, de temp. & habetur Isaiaë



38 *Domus aternitatis. Consideratio*  
c. 9. 4. ubi Christus dicitur, *Sceptrum*  
*exactoris superasse*, sicut in die Madian  
Scilicet sceptrum dæmonis, seu impe-  
rium, quo quotidie, quasi durus exactor  
imponit & exigit à peccatoribus gravi-  
sima tributa, & sicut Gedeon, superat  
Madianitas: trecentos verò, è triginta  
duobus millibus, electos, repræsentat  
electos, inter reprobos.

III. Considera ansam & occasione  
electionis trecentorum militum, analo-  
giam quoque ac similitudinem præbe-  
re electionis salvandorum. Gedeon enim  
Dux strenuus ac prudens, elegit eos, qui  
lambebant aquam, raptim manu ha-  
stam, sicut lambit canis: rejecit verò eos  
qui curvaverunt genu, ut biberent. Actus  
id notat & exponit Origenes hom. 9.  
L. Judic. *Ille electus est*, ait, *qui postquam*  
*ad aquam baptismi ventum est, flecti ad ter-  
renas necessitates nescit, qui vitis non in-  
dulget, neque ob peccati sitim sternitur pro-*  
*pnus.* Ac proinde electus meritò censetur  
qui ad vitia non inclinatur; reprobus ve-  
rò, qui ad vitia & peccata se abjicit elec-  
igitur à Domino, ad vincendos Madiani-



tas, id est dæmones, eam proportionem habent, ad reprobos; quam soli trecenti, ad triginta duo millia rectorum, à Gedeone.

*Affectus pavoris.*

**P**avor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. Job. c. 4. 14. Intra me aduerto inclinationes, animam curvantes ad bibendum fœtidas carnis aquas: Circa me video ardentem igne concupiscentiæ mundum, instar pentapolis, & ego non fugio, ego in flammis allambentibus persto. Infra me cerno hiare, inferni fauces, & animas reproborum, turmatim in eas, corruentes. Supra me, intueor cœlum, mihi ob scelera mea infensum. Et an non inter ista jure trepido? fide sanè careo, si *in his omnibus insensatum est cor.* Eccl. 16. 19.



CON-



## CONSIDERATIO V.

Lata porta Domûs damnatæ  
æternitatis.

*Lata porta quæ ducit ad perditionem.*

Matth. c. 7. 13.

13. Januarii.

I. **P**rolatis, ad veritatem de multitudine damnandorum & paucitate salvandorum stabiliendam verbi divini oraculis atque figuris, nonnulla SS. PP. Ecclesiæ Doctorum testimonia, uti probatas historias attexamus. Testimonium primum est S. Joannis Chrysostrami, de Antiochia civitate amplissima, in urbe, in qua primùm Discipuli cognominati Christiani, habitasse ferunt quingenta aut sexcenta hominum milia. Et ejus morum, si quisquam aliis apprimè gnarus, dictus Orator aureus quæstionem movet admirandam, hoc 40. ad pop. Antioch. *Quot, inquit, putatis in civitate nostra, qui salvi sunt infestum est quidem, quod dicturus sum dicam tamen; non possunt in tot milibus*

centis



centum inveniri qui salventur: quin & de  
his dubito: quanta enim in juvenibus qua-  
so malitia? Quantus in senibus torpor? Fi-  
liorum curam gerit nemo &c. Hæc est sen-  
tentia Chrysostomi.

II. Testimonium exemplo comprobe-  
mus. Refert Trithemius in Chronico, ad  
annum Christi 1160. cuidam Episcopo  
Lingonensi, eremicolam, ante illi no-  
tum, à morte apparuisse qui de statu suo,  
ab Episcopo interrogatus, responderit:  
Eà horâ, quâ migravi de corpore, triginta  
hominum millia ex hac luce transierunt; è  
quibus Bernardus Claravallensis Abbas,  
unâ mecum evolavit ad cœlos, terni alii  
ad ignem purgantem amandati sunt; ceteri  
omnes, justis Judicis sententiâ condemnati,  
ad inferos descenderunt. O quis non mi-  
retur? Quis non obstupescat? sed mirari  
desinet, si mundum universum in mali-  
gno positum perpenderit.

III. Considera enim; quàm vastis ter-  
rarum spatiis dominetur, idololatria: in  
quot regnis & regionibus grassetur hæ-  
resis: in plagis autem fidelium, in uno  
regno vexillum erigat libido & luxuria;  
in



42 *Domus eternitatis. Consideratio*  
in alio gula, ebrietas & crapulas, in al  
fraus & iniustitia. Vide quot & quan  
ubique cernantur scandala, quibus  
ties vae Saluator intentat: quanta ubiq  
praesertim in feminis regnet superbia,  
viris avaritia, in juvenibus luxuria.  
igitur mundo a scandalis! vae a superbia  
vae a gula & luxuria! vae ab iniquitate  
avaritia! *A minore usque ad majorem qu*  
*omnes avaritia student.* Jerem. c. 6. *Et*  
*men: Facilius est camelum transire per*  
*ramen acus, quam divitem (avarum)*  
*trare in regnum caelorum.* Matth. c.  
Unde merito inferebant Discipuli: *Q*  
*ergo poterit salvus esse? l. c.*

*Affectus timoris.*

**O** Quis, his bene consideratis, n  
timeat? Ergone in urbe Asiae fr  
quentissima, & post Romam & Alex  
driam, tunc temporis, maxima, vix ce  
tum incolae salutem consequentur  
nam; reliqui omnes ibunt in orcum?  
gone ex triginta millibus, bini solum  
volant in caelum, terni ad ignem pu  
gantem, reliqui omnes ad Tartarum?



quis timorem salutarem non concipiat?  
 Quis à via lata, ad arctam sese non pro-  
 tinus recipiat? Vade, ô Christiane & i,  
 non quàm multi; sed quàm eundum est: &  
 cave sedulò, ne innumera pravorum ex-  
 empla, instar torrentis, te abripiant. Ces-  
 sent, cessent solatia malesuada discriminis:  
 praeferat vitam propagasse cum paucioribus;  
 quam perdidisse cum pluribus. Obsecro te,  
 Valeriane, delictum alienum, semper ut op-  
 probrium respice, nunquam ut exemplum.  
 S. Eucharius ad Valer. nepotem.

## 14. Januarii.

I. Testimonium secundum praebet no-  
 bis Doctorum Aquila Augustinus  
 serm. 12. de verb. Dom. ubi explicans illa  
 verba Lucæ c. 13. 23. Si pauci sunt qui sal-  
 ventur? Hæc ratione discurret: Dominus  
 ad hoc quid? Non ait, non pauci, sed multi  
 sunt qui salventur: non hoc dixit: sed quid  
 dixit, cum audisset: si pauci sunt qui salven-  
 tur? Contendite, inquit, intrare, per angu-  
 stam portam: quia multi, dico vobis, qua-  
 rent intrare, & non poterunt. Quando au-  
 dis ergo, pauci sunt, qui salvantur, confir-  
 mavit



44 *Domus eternitatis Consideratio*  
mavit Dominus, quod audivit: per angustiam  
stam portam pauci intrant. Hæc est mæntra  
& expositio D. Augustini. li,

II. Testimonio huic jungamus ex ver  
plum: quod refert Chronicon S. Fructo  
cisci p. 2. L. 1. c. 30. & S. Antonin ver  
Femina quæpiam inter Ecclesiastæ v hife  
ba, præ contritionis vehementia, in te reg  
plo mortua concidit, ac paulò post ad ma  
tam rediens affirmavit: Ego mortua cru  
ante tribunal Dei, & simul adducta per  
sexaginta animarum millia; quæ in va  
mundi partibus, è vita excefferant. Al  
ex omnibus illis, terna tantum anima, fl  
mis purgantibus sunt addicta, reliqua  
omnes, ad ignem æternum sunt condem  
ta. Hæc illa. Sicut in hyeme flocci ni  
densi cadunt ex æthere; sic animæ Do  
matim decidunt ad abyssum gehennæ ver  
via

III. Perpende nunc, quàm dicta hi  
ria sit terribilis: cui equidem, fidem  
adhiberem, nisi ante credidissim ver  
ti æternæ, verbis disertis asseverat  
Spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem  
& multi sunt, qui intrant per eam. & an  
via est, quæ ducit ad vitam, & pauci in  
laça



angustiant eam. Matth. c. 7. 14. Sed cur multi  
 intrant ad perditionem, quia multi ma-  
 li, multi iniqui, multi vitiis dediti: pauci  
 ex verò integrè renuntiantes malo, pauci ex  
 toto se offerentes Deo, pauci factores  
 verbi; pauci imitatores Christi; pauci in  
 hisce tenebris, filii lucis; pauci justi in hoc  
 regno iniquitatis; pauci in hoc mundo  
 maligno boni; pauci mundo mortui &  
 crucifixi, pauci casti, pauci sobrii, pauci  
 perfecti, pauci sancti.

*Affectus desiderii.*

**O** Quis mihi det annumerari paucis?  
 Quis mihi tribuat cum paucis castis,  
 sobriis, perfectis, intrare per angustam  
 portam, & incedere per viam arctam?  
 Domine JESU, qui dixisti: *Ego sum via,*  
*veritas, & vita,* duc me per te, ceu per  
 viam arctam veritatis, ad vitam! qui di-  
 xisti: *Ego sum ostium, per me si quis introie-*  
*rit salvabitur.* Joan. c. 10. 9. Da ut per  
 te ingrediar ad salutem! Noli, noli sequi  
 multitudinem; anima mea: *Noli nume-*  
*rare turbas hominum incedentes per vias*  
*largas; noli illos attendere; multi sunt; &*  
 quis



46 *Domus eternitatis. Consideratio  
quis numeret? pauci autem per viam  
gustam: profer stateram: appende:  
contra pauca grana electorum, quantum  
paleam reproborum leues. S. August.  
Psal. 39.*

15. *Januarii.*

I. **T**estimonium tertium protulit S. Nilus Abbas, de quo Cardinalis  
ronius, ad annum Christi 976. refert  
rum hunc sanctum, à quibusdam red  
gutum fuisse, propter approbationem  
velationis, factæ S. Simeoni Stylitæ.  
Quòd scilicet ex decem millibus,  
tempore, vix una reperiretur anima,  
ad manus sanctorum Angelorum  
veniret; id est, quæ salutem æternam  
consequeretur. Quibus S. Nilus respon  
dit: *Si demonstravero vobis magnum  
silium, & Chrysostomum, & Ephrem,  
Theodorum Studitam, & Apostolum ipsi  
sed & sanctum Evangelium, eadem  
tientes, atque dicentes; quid opponetis?*  
Quis non stupeat hoc sancti Stylitæ  
acroama?

II. Testimonio huic rursus annexo



mus exemplum, quod refert Diaz ferm.  
 2. in fest. B. V. ad Nives. Nonnemo Ma-  
 gister Parisiensis, cum à morte apparuit-  
 set ejusdem urbis Episcopo, seque dam-  
 natum irrevocabiliter, in inferno, pro-  
 nuntiasset, hæc addidit: *Tot animas illis*  
*diebus descendisse ad inferos, ut vix crede-*  
*ret, tot esse posse homines in mundo. Verè*  
*dilatavit infernus animam suam & ape-*  
*ruit os suum absque ullo termino.* Isaia c.  
 5. Id est, ut Hugo Cardinalis exponit:  
 dilatavit affectum devorandi infernus in-  
 satiabilis, qui multitudine mortuorum,  
 nunquam satiatur.

III. Sic sentit & loquitur S. Nilus at-  
 que alii SS. Patres, de ævo suo, & Magi-  
 ster ille Parisiensis de suo: quid autem  
 nos, de tempore nostro, censebimus? An  
 meliora? Ego non ausim definire. Per-  
 pendamus cujusvis statûs & conditionis  
 homines: quàm multi repertiuntur ubi-  
 que, sceleribus variis implicati? Quàm  
 multi pœnitentes, sed mox, instar canum,  
 ad vomitum redeunt? Quàm multi to-  
 tâ quasi vitâ, de via lata ad arctam, & de  
 arcta ad latam, hoc est de via cœli, ad  
 viam



48 *Domus eternitatis Consideratio*  
viam inferni saltitantes; millies è cœno  
peccatorum surgentes, millies relaben-  
tes, millies venenum evomentes, & mil-  
lies resorbentes; nunquam dignos pœni-  
tentiæ fructus facientes, nec cum Davi-  
de, Petro, ac Magdalena crimina sua de-  
flentes: cùm tamen Veritas æterna diseret  
asserat: *Nisi pœnitentiam habueritis; omnes*  
*similiter peribitis. Lucæ c. 13. 3.*

*Parænesis.*

**O** Christiani! cùm tantus sit pereuntium numerus; si salutem æternam amatis, sequimini monitum Salvatoris Lucæ c. 13. 24. *Contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, querent intrare, & non poterunt. Contendite intrare, per illam portam, per quam Christus ipse intravit: Contendite intrare summo conatu, quia de re summi momenti agitur. Contendite intrare summo curâ, in græco textu est; agonizate, cum luctu & angustia: quia si intretis, beati; non intretis æternùm miseri eritis. Contendite igitur, ut sitis inter paucos, qui ad manus sanctorum Angelorum perveniunt*

*Conten*



Contendite nunc intrare, ne tunc accenseamini illis multis, qui quarent intrare & non poterunt. Atque ad ungues diaboli descendunt. Quod si in lata via sitis, ad arctam, iter reflectite; & centies tremendam Principis Apostolorum sententiam perpendite: *Si justus vix salvabitur, impius & peccator, ubi parebunt?* 1. Petri c. 4. 18.

CONSIDERATIO VI.

Angusta porta Domus beatæ æternitatis.

*Angusta porta, quæ ducit ad vitam.*  
Matth. c. 7. 14.

16. Januarii.

I. **N**E tanta reproborum multitudo & electorum paucitas forsitan quempiam in desperationem impellat, aut salutis spem, confidentiamque supprimat; sciendum est, nos non instituisse comparisonem inter Christianos ac fideles tantum, sed inter omnes etiam infideles, Mahometanos, & Hæreticos, quorum admirabilis est numerus. In *Asia* enim  
C
quatuor



quatuor amplissima sunt imperia Turcicum, Persicum, Tartaricum & Sinicum, quorum singula, plura integra regna vastitate & populorum frequentiam æquant: & in quibus cæcitas mahometana vel ethnica dominatur. Similiter Barbariam, Numidiam, Lybiam, Nigriticam, Æthiopiam, & Presbyteri Joannis vastissimum imperium complectitur, quæ aut mahometanis, aut ethnicis, aut schismaticis erroribus scatent.

II. Perge deinde lustrare Americam, in maiore parte; fide verâ destitutam, in Indiam orientalem & occidentalem, regnum Peruanum, Floridam, novum Mexicanum, Insulas Lucaias trecentas, regnum Tibeti &c. Et licet in his orbis partibus nonnullæ regiones, fidem Christianam colunt, comparatæ tamen aliis, instar guttæ, respectu oceani, esse meritò videntur. Lustra denique Europam, & quod in ea, regna & Provincias, hæresibus diversis aut schismate infecta deprehendit. Ut sunt Anglia, Scotia, Hibernia, Dania, Suecia, Norvvegia, Saxonia, Hassia, Hollandia, Helvetia, Holsatia, Terra Lunz

bu



burgica, Brandeburgica, Megapolitana  
 & Moscovia. Si harum, aliarumque re-  
 gionum aut ethnicarum, aut Mahome-  
 tanarum, aut hæreticarum aut schisma-  
 ticarum incolæ, cum omnibus, fidelibus  
 & Catholicis conferantur: quis dubitet,  
 maximam partem reprobendam, mini-  
 mam esse salvandam, cum extra veram  
 Ecclesiam sicut extra arcam non sit  
 salutis?

III. Quod si tamen solos fideles cum  
 infantibus, computes; verisimile est, ma-  
 jorem esse numerum electorum, quam  
 reproborum. Numerus enim infantium  
 decedentium intra septennium, ante u-  
 sum rationis, ut experientia colligitur ex  
 computu Parœciarum, & notat Ruitz  
 disp. 44. sect. 1. n. 14. est penè æqualis  
 numero morientium adultorum: adde  
 his infantes, proles hæreticorum dece-  
 dentes cum baptismo, qui etiam spectant  
 ad Ecclesiam fidelium: atque ita hi ad-  
 diti infantibus, filiis fidelium, & fidelibus  
 adultis, qui salvantur, numerum effici-  
 unt longè majorem, numero adultorum  
 fidelium, qui damnantur.



52 *Domus aternitatis. Consideratio*  
delium, sæpe peccata lethalia committat; tamen sæpe etiam resurgit; atque ita  
cadendo & resurgendo, vitam transfigit.  
Hi autem ante mortem cõmuniter præparantur per Sacramenta, adeoque probabiliter videntur salvari.

III. Considera porrò majorem partem fidelium consistere ex fœminis; quod sexus ad pietatem pronus, ab Ecclesia *Devotus* nuncupatur. Hæ autem à rixis, rapinis, ebrietatibus, aliisque peccandi occasionibus immunes, faciliè conservantur in gratia, atque ita videntur ex majori parte, salutem consequi. His junguntur multos, etiam toto vitæ tempore sceleratos, quando non repente decedunt, sed in illo mortis articulo, ex timore gehennæ atteri, etiam quandoque usque ad lacrymas. Igitur & hi inter electos collocandi sunt, cum intra quodlibet vitæ tempus pœnitentiæ sit locus. Cogitavit enim bonum latronem, publicanum aliisque subito à Christo conversos.

*Affectus*



*Affectus spei.*

**P**ECCAVI, Domine, peccavi, ac pro-  
 pterea damnatis annumerari, millies  
 merui: sed in spem me erigit infinita mi-  
 sericordia tua & clementia, exhibita la-  
 troni, publicano, plurimisque aliis.  
 Spera igitur in Deum, anime mi, & in  
 merita JESU, infiniti valoris: confi-  
 liumque oratoris aurei amplectere: *Si*  
*impius es, cogita publicanum: si immun-*  
*dus es, attende meretricem; si homicida*  
*es, perspice latronem: si iniquus es, cogita*  
*blasphemum.* Hom. 2. in Psal. 50. Et noli  
 unquam amittere confidentiam tuam,  
 quæ magnam habet remunerationem.

18. Januarii.

**I. U**T amplius, ampliusque in spem as-  
 surgas, perpende Sanctorum  
 multitudinem; unde ingentem præde-  
 stinatorum numerum facile divinabis. A  
 Martyribus auspicare. Sub uno Diocle-  
 tiano, ut notat Cornelius à Lapide in A-  
 poc. c. 7. 9. quor mensibus cæsa sunt  
 septem ac decem millia: qui numerus  
 multiplicatus, per decem persecutionis

C 4

ANNOS,



54 *Domus aternitatis. Consideratio*  
annos, binos Martyrum milliones confi-  
cit. Ex quo verisimile redditur, quod  
scribit Genebrardus in Psal. 78. Possunt  
singulis anni diebus, celebrari festa Mar-  
tyrum triginta millium. Imò ut in vetusto  
codice revelationum S. Birgittæ legitur  
in sola Urbe Romana celebrari indie  
possunt, festa Martyrum, septem mil-  
lium.

II. His adjunge tot millia SS. Con-  
fessorum, tot millia Episcoporum, Sacer-  
dotum, Monachorum, Eremitarum, Vir-  
ginum, Viduarum, Conjugatorum, Sac-  
titate illustrium, qui omnes regnum  
cœleste obtinuerunt: ut locum repleant  
tertiæ partis Angelorum apostaticorum  
quam cauda Draconis secum attraxit, &  
in abyssum inferni præcipitavit. Vatici-  
nante Prophetâ de Christo: *Judicabit in*  
*nationibus, implebit ruinas.* Psal. 109.

III. Perpende denique hoc spectare  
ad efficaciam passionis & sanguinis  
Christi; ut post adventum ejus, plures  
fidelibus salutem æternam consequan-  
tur, quàm in infernum deturbentur sicut  
ante adventum ejus, ex minori applica-  
tione



tionem passionis, nondum impletæ, plures in orbem descendebant, quàm cœlum peterent. Si posuerit pro peccata animam suam, dispersiam ei plurimos. Isaia c. 53. 10. Et hi omnes sunt Christi Domini nostri familia & Aulici; quorum ipse Rex & Pater est: adeoque ad majorem ejus gloriam pertinet, major numerus Electorum; sicut ad gloriam majorem Principis, major numerus Aulicorum. Ex quibus collige, majorem quidem numerum reproborum esse, quàm electorum, si infideles & hæreticos incluseris, consideratis verò solis adultis fidelibus, aut majorem esse numerum electorum, aut certè valde magnum, quòd merito te & exhilarare, & in spem erigere valet.

*Affectus fiducia.*

Quapropter, mi Lector, si te terreat multitudo pereuntium; multitudo quòque electorum, animes, erigat ac soletur. Multitudo reproborum, à malo retrahat; multitudo electorum, in bonum impellat. Multitudo Martyrum ad



56 *Domus aternitatis. Consideratio*  
patientiam, Confessorum ad humilitatem, Virginum ad castimoniam te excitet. *Non terreant, inquit S. Hieronymus Epist. 34. descendentes; sed provocem ascendentes; nusquam à malis exemplum sumitur; etiam in seculi rebus, à meliori parte incitamenta virtutum sunt. Justitia divina terreat, bonitas alliciat. Vide bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin ex tu excideris. Ad Rom. c. II. 22.*

#### CONSIDERATIO VII.

Mors bona, Domus beatæ æternitatis janua.

*Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Psal. 115 5.*

19. Januarii.

I. **Q**uemadmodum Sancti, in conspectu Dei, dum vivunt, pretiosissimi sunt: quia pretio magno à Christo sunt redempti: *Scientes, quòd non corruptibilibus auro & argento redempti estis; sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati*  
Christi



*Christi. I. Petric. I. 18.* Et quia thesaurus sunt Dei; & arca, gratiæ, virtutum, & Spiritûs sancti donorum bonis, repleta. Ita quoque eorum mors in conspectu Domini, pretiosa est; 1. quia per eam, velut januam, ad cœlestem patriam, ad Deum, divinôsque ejus thesauros possidendos, ingrediuntur.

*II. Pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* 2. Ob insignem meritum ac virtutum thesaurum, quem totâ vitâ collegere & quasi in animæ suæ arca reposuere: quales sunt, fides viva, spes robusta, charitas accensa, pietas tenera, devotio prompta, paupertas evangelica, obedientia apostolica. 3. Ob donum orationis, in eis, usque ad mortem perseverans. 4. Ob securitatem vitæ præteritæ, bonis operibus, partam. Unde S. Martinus visum dæmonem securus increpavit: *Quid hic astas cruenta bellua, nihil in me funeste reperies?*

*III. Pretiosa est mors Sanctorum:* 5. Ob Christi Domini nostri auxilium; quod ipse fidelibus servis suis, in illa hora decretoria præstat, tum per seipsum,



38 *Domus aternitatis. Consideratio*  
rum per Virginem Matrem suam, tum  
per Angelos, tum per alios Beatos cœli  
Cives: nonnunquam etiam manifestis  
visionibus, eos in lucta confortans ac re-  
creans. Sic S. Tharsilla in cœlum evoca-  
ta, Jesum venientem vidit, & circumstan-  
tibus inclamavit: *Recedite, recedite Jesu*  
*venit: cùmque in eum intenderet, quem*  
*videbat, sancta illa anima à carne soluta*  
*est: tantâque subito fragrantia, miri odo-*  
*ris aspersa est; ut ipsa quoque suavitas*  
*cunctis ostenderet, illuc auctorem suavi-*  
*tatis venisse. Ita refert S. Gregorius Pa-*  
*pa hom. 38. in Evangelia.*

*Desiderium bonæ mortis.*

**O** Mors! jam non fugienda; sed op-  
tanda pro his animabus & ample-  
ctenda, tanquam cœli, Dei, bonorum  
que cœlestium ac thesaurorum divino-  
rum janua! quando per te ingrediar; ut  
laborum præmia consequar? *Mibi*  
*vere Christus est & mori lucrum. Ad Phil*  
*c. 1. 21. Hic mihi vita Christus; labor*  
*fudor, & pugna pro Christo; ibi mors lu-*  
*crum, mors præmium, & corona, requie*  
& vi



& victoriâ: quando in pace dormiam & requiescam, & absorbebitur mors à vita, pugna in victoria, labor in quiete, miseria in beatitudine, momentum in æternitate.

## 20. Januarii.

I. **P**retiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum. Et amabilis at jucunda: illis enim jucundum est, ab hujus vitæ miseræ exilio gravi ac molesto liberari; in quo hæctenus, velut captivi in carcere, aut exules in terra aliena atque remota, cum dolore detenti fuere; sæpiusque suspiravere cum Davide: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Psal. 119. 5. Unde læti ab exilio isto evolant; sicut Israel de Ægypto ac de populo barbaro: & velut aves Deo sacratæ, de luto. *Avolabunt, quasi avis (ibis vel accipiter) de Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.* Osee c. 11. 11. In domibus scilicet æternitatis suæ.

II. Pretiosa mors Sanctorum, uti & felix ac læta: vident enim Sancti, se per



60 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
mortem liberari à vinculis corporis, ab  
internarum passionum motibus, à cun-  
ctis hostibus, & à curarum examinibus.  
S. Bernardus serm. in transitu S. Mala-  
chiæ, agebat: *Triples in morte gratulatio*  
*est; homines ab omni labore, peccato & pe-*  
*riculis liberari.* Gratulantur sibi quod  
sicut avis paradisiaca, de visco & laqueis,  
ac de mundi pedicis sint extricati, cum  
Davide clamantes: *Laqueus contritus est*  
*& nos liberati sumus.* Psal. 123. 7. Gra-  
tulantur sibi, quòd à mundo, carne ac  
dæmone sint liberati in æternum; nec  
ampliùs molestos insultus, ac tentationes  
subire unquam sit necesse.

III. *Pretiosa mors*, quia per eam ad pa-  
triam itur, & ad Patris cœlestis domum:  
per eam ad portum æternæ tranquillita-  
tis appellitur; quemadmodum Naucle-  
rus aut mercator dives ex agitato ac fre-  
mente mari, in litus conscendit: ut enim  
loquitur S. Gregorius Nazianzenus orat.  
19. *Quod navigantibus tranquillus portus*  
*est, hoc iis, qui hujus vitæ procellis agitan-*  
*tur, migratio ad alteram vitam existit.* In  
hoc portu cessant fluctus & procellæ;  
cessant



cessant venti & tempestates ; perpetuâ  
 succedente malaciâ. In hac patria cessant  
 bella & prælia ; & regnat assidua pax &  
 concordia : cessant lites & jurgia : ubi  
 summa regnat requies & charitas ; u-  
 numque negotium est laudare Deum in  
 sæcula.

*Suspiria.*

**O** Domine! quis me liberabit de cor-  
 pore mortis hujus? *Educ de custodia*  
*animam meam, ad confitendum nomini tuo:*  
 transfer de exilio ad patriam, de tempe-  
 state ad portum, fluctuantem cymbam  
 meam : ut liber passionum motibus, liber  
 curarum fluctibus, liber periculis & ho-  
 stibus, liber peccatis ac defectibus; in  
 sanctitate & justitia, glorificem nomen  
 tuum: *Repleatur os meum laude tuâ, ut*  
*cantem gloriam tuam, totâ die magnitu-*  
*dinem tuam.* Psal. 70. 8. In terra vi-  
 ventium, in patria Beatorum.





21. *Januarii.*

**I.** *Pretiosa mors Sanctorum* : quia per eam velut per januam intrant in regionem illam felicem, à qua exulat omne malum naturæ : *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui, auferet de universa terra; quia Dominus locutus est. Itaiæ c. 25. 17.* Et S. Joannes in Apocalypsi c. 7. 17. ait : *Agnus qui in medio throni est reget illos; & deducet eos ad vitæ fontes aquarum; & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Nulla igitur ibi erit mors aut infirmitas; nulla pestis aut fames; nulla tristitia aut metus; ubi vita, sanitas, saturitas, securitas & lætitia sempiterna perennat.

**II.** *Pretiosa mors*; quia est porta consummatæ perfectionis, ac sanctitatis: exulat enim ex illa civitate sancta, omne malum culpæ, & mortale; omne vitium, omne peccatum. Sicut enim ipsa mors eorum in se sancta est; quia in actibus fidei, spei, charitatis ac desiderii Deum videndi



dendi obitur, quia à voluntate Dei ac morte Christi dulcoratur; quia à Diva Virgine, sanctisque Patronis, solatio afficitur; quia mundus, jam dudum corde desertus, alacriter deseritur; quia dæmon calcaneo insidians generosè detriumphatur. Ita ipsa in domum sanctitatis cœlestem introducit. De qua dictum est: *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Psal. 92. 5. In quam nemo coinquinatus admittitur; sed quisquis ingreditur, perfectissimâ statim sanctimoniâ illustratur: est enim domus Dei ter sancti, est regio Angelorum, mansio justorum, habitatio Dei filiorum, & Sancta Sanctorum.

III. *Denique pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Quia est janua cœlestis Hierosolymæ, in qua reperitur omne bonum. *Erit opus justitiæ pax & securitas usque in sempiternum & sedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Isaïæ c. 32. 17. *Gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Isaïæ c. 51. 3. Erit ibi perpetua lætitia, gloria completa, quies opulenta, stabili-



64 *Domus eternitatis. Consideratio*  
stabilis malacia, æquitas, suavitas, justitia, innocencia; erit ibi castimonie & puritatis nitor invariabilis, charitas stabilis, dilectio immutabilis, possessio Dei & unio amabilis, quâ omnes in Deum velut ferrum in ignem transmutantur. Nil nisi Deum cogitant, spirant, amant, laudant, ac speculorum radiantium instar, solem divinum repræsentant, semperque læti ac beati æternum triumphant.

*Affectus admirationis.*

**O** Mors pretiosa Sanctorum! O amabilis porta cœlorum! O quam optata janua, quâ omne malum naturale & mortale excluditur! quâ in domum sanctitatis, gaudii, omnisque boni intratur! O quam gratum ostium, per quod admittimur in gloriæ regnum! O pretiosa mors Sanctorum! quis pretium, quis jucunditatem, quis felicitatem tuam verbis exprimat? O quam jucundum est illis mori, quos vivere non delectat! O quam acceptabile est illorum divortium, qui se mutuò non diligunt!

quâ



quàm promptè migratur è domicilio ,  
 quod nunquam libenter inhabitatum  
 est! O mors tam pretiosa tam optata, tam  
 sancta, utinam mihi evenires ! utinam  
 omni die & horâ me singulari studio ad  
 te disponerem! Ah ! *Moriatur anima  
 mea morte justorum: & fiant novissima mea  
 horum similia.* Num. 13. 10.

CONSIDERATIO VIII.

Mors mala, Domûs æternitatis  
 damnatæ porta.

*Mors peccatorum pessima.* Psal. 33. 22.

22. Januarii.

I. **C**onsideratâ morte justorum pre-  
 tiosâ ; consideranda quoque est  
 mors peccatorum pessima , æternitatis  
 infelicis porta horrenda. Cur autem di-  
 citur pessima? Ausculta Doctorem mel-  
 listuum, dicentem Epist. 105. *Audi unde  
 mors peccatorum pessima : mala siquidem  
 est in mundi amissione, peior in carnis sepa-  
 ratione, pessima, in vermis, ignisque du-  
 plici contritione. Sive est mala, ob  
 a. ortem antecedentia, peior ob conco-  
 mitan-*



66 *Domus aternitatis. Consideratio*  
mitantia, pessima ob subsequencia. Et  
quidem primò mala est ob antecedentia.  
Saul moriens exclamavit: *Tenant me an-*  
*gustia & adhuc tota anima in me est.* 2. Reg.  
c. 1. 9. Sic pariter quemcunque im-  
pium, *tenent angustia*, ob mortem præ-  
cedentia: quia destituitur viribus, ob-  
ruitur doloribus, caret remediis, despe-  
ratur à medicis, deponitur à domesticis,  
coangustatur à conscientia stimulis, ter-  
retur à dæmoniis. O quales angustia!

II. Angunt, antecedentia: quia jam  
jam privabitur omnibus bonis suis, do-  
mibus, hortis, vineis, agris, prædiis, divi-  
tiis; animòque occurret illud divitiis  
evangelici: *Stulte, hâc nocte animam*  
*tuam repetent à te: quæ autem parasti cu-*  
*jus erunt?* Lucæ c. 12. 20. Mox desere-  
tur à parentibus, liberis, amicis, sodali-  
bus, cunctisque mortalibus, & solus in-  
gredietur domum æternitatis suæ. Cir-  
cumdatur & horrendum in modum tor-  
quetur recordatione peccatorum, vin-  
dictarum, libidinum, ambitionum; quæ  
quasi exercitum quendam taurorum,  
leonum, tigrum, draconum ac serpen-  
tium,



tium, mordentium atque rodentium  
conflant, cingunt, premunt, angunt, &  
dilandant. O quales angustiae!

III. Angunt antecedentia ex omni  
parte: nam conjiciens in caelum oculos,  
iratum sibi numen conspicit; retrò re-  
spectans, ad intuitum daemonum, animae  
ipsius insidiantium, exhorret; deorsum  
flectens lumina, apertas stygii draconis  
fauces intuetur: ante se cernit toties of-  
fensum Judicem, cujus conculcavit san-  
guinem: intus mordacem conscientiae  
vermem sentit: qui identidem oggerit:  
Deum tuum dereliquisti: Redemptorem  
sprevisti, Spiritui sancto toties restitisti;  
occasiones meritorum neglexisti, tempus  
preciosum dilapidasti. O stulte! quid fe-  
cisti? Ecce nunc *Tempus non erit amplius.*  
O quales angustiae!

*Affectus doloris.*

**O** Quàm confundor! quòd has mise-  
rias supremas, tam rarò cogitarim!  
O quàm doleo, quòd parùm studue-  
rim praepedire angustias illas, ex qui-  
bus, propriis viribus me extricare non  
potero!



68 *Domus aternitatis. Consideratio*  
potero! Pœnitet me hæctenus non vixisse  
vitam pretiosam justorū, sed peccatorum  
pessimā! cūm autem mors sit echo vitæ,  
nec solet mori bene, qui vixit malè: quid  
mihi præstolandum erit? *Tribulatio &*  
*angustia in omnem animam operantis ma-*  
*lum.* Rom. c. 2. 9. Quid igitur consilii? Si  
peccasti, conterere, defle & confitere de-  
licta tua, ne in morte te angant, turbent  
& crucient. *Ne dixeris, peccavi; & quid*  
*mihi accidit triste?* Eccli. c. 5. 4. Subito  
enim transibit gaudium & succedet vio-  
lenter tristitia, in morte inchoanda, tota  
æternitate non terminanda.

23. Januarii.

I. **C**ONsidera deinde, quomodo *mors*  
*peccatorum sit pessima*, ob conco-  
mitantia, & morti conjuncta. *Mors*, ait  
S. Bernardus l. c. *pejor in carnis separatio-*  
*ne.* Rex Agag pinguis ac tremens, captus  
& à Saule vitâ donatus, sed à Samuele, Dei  
jussu, conscissus in frusta, coram Domino, in  
Galgalis. 1. Reg. 15. 33. Cūm jamjam esset  
interficiendus, clamabat: *Siccine sepa-*  
*rat amara mors? Siccine separat à palatiis,*

à di-



à divitiis, ab ambulacris, ab hortis, villis, diverticulis delitiosis? *Siccine separat*, ab honoribus, dignitatibus, dominiis, exercitiis, cunctisque amicis & charis? *Siccine* tam improvise & præter expectationem? in cursu fortunæ tam prospero, aspirantibus favoniis, in flore ætatis? Ita, ita Rex impie, sic separat amara mors, & te, & omnes impios, pœnitentiam non agentes; sic separat à regno & honoribus: sic separat ab omnibus hujus mundi bonis, sive licito, sive illicito amore dilectis: sic separat membra à corpore, corpus ab anima, animam à Deo. O amara separatio!

II. Perpende paulisper separationis hujus amarorem. Quàm amara est evulsio dentis, gingivæ firmiter inhærentis? Quàm amara est separatio, manuum aut pedum à corpore? multi mortem præeligunt. Quàm amara est violenta abstractio emplastri, firmissimè vulnere agglutinati? At magis amara est, à conjugè, à liberis, à cognatis, à subditis, à sociis, avulsio perpetua, absque omni spe eos in hoc mundo ampliùs videndi. Sed adhuc



70 *Domus eternitatis. Consideratio*  
huc longè magis amara, acerba ac tristis  
est, ipsa animæ & corporis separatio, quæ  
eò est violentior, quò arctius anima car-  
ni & sanguini agglutinata vixit : *Non*  
*enim deseritur sine dolore, quod cum amore*  
*possidetur. S. Greg. L. 1. Moral. c. 13.*

III. Veritatibus hisce ponderatis, in-  
gredere, mi Lector, conscientiam tuam,  
scrutare & examina, num immodico re-  
rum terrenarum amore tenearis: id au-  
tem carendo magis, quàm fruendo de-  
prehendes: ut si opum, honoris, officii,  
conjugis jacturam facias; aut in exilium  
à patria, tuisque avulsus, expellaris,  
quod si quid inordinati, vitiosi ac nimii  
amoris, in te animadverteris; considera-  
tione mortis, & falce mortificationis ex-  
stirpare coneris: hoc enim est, in vita, mori,  
& magno emolumento mori: sic  
namque mortem antevertendo, cum ve-  
nerit, amarorem ejus vix senties. Quia  
facilè & sine dolore relinquitur,  
quod sine amore retinetur.

\* \*  
\*

*Petitio*



## Petitio.

**O** Deus meus, misericordia mea! gratiâ tuâ efficaci me roborâ; ut nulli rei creatæ, amore inordinato adhæream; in nulla mundi substantia, pacem & affectum reponam; quò totum amorem meum, in te Creatorem meum transferam. Mitte non pacem, sed gladium: ut cor meum à mundo separem, illudque à carne & sanguine, à voluptate & vanitate, à peccatorum, vitiorumque dominatione ac tyrannide, penitus revellam; ne in morte, velut Agag Rex impius, cum mœrore & amarore, exclamare cogar: *Siccine separas amara mors? Et O mors! quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis! Eccli. c. 41. 1.*

## 24. Januarii.

**I.** **M**ors denique peccatorum pessima: ob subsequentiâ mortem. Pessima, ait S. Bernardus, in vermis ignisque duplici contritione. Vermis hic, est malæ conscientia, qui in mortis articulo, valdè

**D**angit,



72 *Domus eternitatis. Consideratio*  
angit, ac lancinat; & agonizantem, ob  
secuturas mox pœnas, ingenti terrore  
complet. Cogita, quanto terrore percul-  
sus fuerit Rex Baltassar temulentus licet,  
visâ manu ad parietem scribentis: *Ma-  
ne, Thecel, Phares?* Dan. c. 5. 25. Quo-  
modo expavit, palluit, tremuit, & collisa  
sunt genua ad invicem? & eâdem nocte  
adhuc, à Cyro vitâ & regno exutus.  
Quanto terrore percussus est, dum ad  
mortem & æternitatem citatus est pe-  
remptoriè, lascivus ille Chrysaorius,  
quando exclamabat: *Inducias usque ma-  
ne, Inducias usque mane!* Ut recenset S.  
Gregorius hom. 12. in Evang. Quid ve-  
rò eum tantopere terruit? Extremum  
omnium malorum, ejus vertici impen-  
dens; conscientiaæ scelestæ vermis, irati  
Judicis sententia definitiva & irrevoca-  
bilis, atque ignis inferni inextinguibilis.  
O quis ad hæc non paveat?

II. Expendendum autem est, quod  
vermis ille, cum moriente non moria-  
tur; sed sit immortalis, & animæ inhæ-  
rens, comitetur in abyssum tartari; ibi-  
démque cor damnati rodatur, ac dolore  
affiduo



ob assiduo torqueat: nunc enim oggerit illi:  
 core Vesane & cæce, quàm facilè salutem con-  
 cul- sequi potuisses, sed neglexisti: cogita,  
 cet, quam malè tempus gratiæ, dormiendo,  
 Ma- ludendo, confabulando, helliando, lu-  
 quo- xuriando, collocaveris; nec in posterum  
 illa spes ulla obtinendæ vel horulæ, vel a-  
 octe gendæ pœnitentiæ superest. Aliàs obji-  
 citus. ciet illi: Ecclesiæ Sacramenta despexisti:  
 n ad orationis & pietatis exercitia neglexisti:  
 pe- conciones verbi divini non frequentasti:  
 ius, inspirationibus divinis, non respondisti:  
 ma- eleemosynas in pauperes non erogasti;  
 t S. nec tibi amicos fecisti, qui in æterna te  
 H ve- recipere tabernacula. Nunc ergo ex-  
 num cluderis in perpetuum. O quis pudor!  
 pen- quis dolor!

III. Sed & mors impiorum pessima,  
 ob ignis contritionem & sempiternū flam-  
 oca- marum avernaliū incendium; jam pa-  
 bilis. ratum, mortuūque expectans; ut pro-  
 uod latâ damnationis sententiâ, à diabolis  
 oria- præparatis ad escam, abripiatur, & mit-  
 hæ- tatur in stagnum ignis ardentis, picis &  
 ibi- sulphuris. O quis impiorum moriens,  
 lore non omnibus artubus contremilcat? Ex



74 *Domus eternitatis. Consideratio*  
quibus omnibus veritatem sententiæ D  
Bernardi collige: *Mors peccatorum pessima.* 1. *Mala in amissione mundi, quia non*  
*possunt sine dolore separari ab eo, quem dilige*  
*gunt.* 2. *Pejor in dissolutione carnis, à qua*  
*evelluntur anima, à spiritibus malignis.* 3.  
*Pessima in tormentis inferni: quando cor*  
*pus & anima, perpetuis simul addicuntur*  
*ignibus.* Serm. 41. ex parvis.

*Affectus pavoris.*

**O** Anima mea! quis considerato ho  
verme immortalis, & hoc igne in  
extinguibili, non expavescat? semel tibi  
moriendum est: non bis; adeoque error  
in morte semel commissus, est irrepara  
bilis. Vide proinde; si hoc momento, ti  
bi moriendum foret, ut millenis accidit  
qualisnam mors tua foret? *Pretiosa, an*  
*pessima?* Si in peccato lethali decederes  
posterior tibi foret certissima, uti & du  
plex vermis & ignis sempiterni contri  
tio. Quare si sapias, maturè cogita, in  
tanti momenti, de adhibendo efficaci  
remedio. Nec differ; sed mox te expedi  
neque enim aut licitum aut securum est



in eo statu vivere, in quo nolis mori.  
 Quod facis, fac citò: & memor esto, quoniam mors non tardat. Eccli. c. 14. 12. Et paucitas dierum tuorum finietur brevi.

CONSIDERATIO IX.

Sententia felicitis æternitatis.

*Venite benedicti Patris mei, & possidete regnum.* Matth. c. 25. 34.

25. Januarii.

I. **P**erpende, quantâ lætitiâ anima beata, in die novissimo, ad corpus suum resuscitatum, tanquam ad laborum, meritòrumque socium redibit: quantâ jucunditate ducetur in vallem Josaphat, optatam sententiam exceptura? quanto gaudio aspiciet Judicem venientem in nubibus cœli, cum majestate magna? Quantâ exultatione separabitur ab hædis, & rapietur in occursum Christi in aëra; ut ibi in nube splendidissima, quasi throno confideat, & inter omnes Sanctos, tanquam in amphitheatro, pro cuiusque meritis, altiùs & altiùs, Christo-que viciniùs confidentes, assistat? (Suarez



76 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
1. p. disp. 57. sec. 2. to. 2.) Quanto ju-  
bilo & honore, videbit, omnia opera sua  
bona, etiam occultissima, toti mundo  
manifestari? Quanto denique solatio ce-  
net amabilem Judicis vultum, in omnes  
electos reflecti, & eum os aperire ad pro-  
nuntiandam desideratissimam senten-  
tiam? O quis hæc capiat? cujus cor non  
colliquescat?

II. Quænam verò hæc erit sententia  
*Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus*  
*runt: Venite benedicti Patris mei, posside-*  
*paratum vobis regnum à constitutione*  
*mundi. l. c. Venite de exilio mundi ad*  
*patriam, de ergastulo ad requiem, de*  
*tempestate ad portum. Venite de stadio*  
*ad bravium, de certamine ad coronam,*  
*de tempore ad aeternitatem. Venite de*  
*monte Libano Ecclesie, in quo cedro-*  
*rum instar in virtute crevistis, ad montem*  
*perennis gloriæ: de cubilibus leonum &*  
*pardorum, hoc est, hominum scelerato-*  
*rum, ad societatem Angelorum, homi-*  
*nùmque sanctorum, ut gloriâ & honore*  
*coronati, cum illis, in perpetuum tri-*  
*umphetis.*



III. Nota autem, amabilem hanc Judicis vocem, non veluti invitationem omnibus communem; sed tanquam singulis propriam, & in specie dictam intelligi. Tanquam si diceret: *Venite Patriarchæ, qui in fide ambulastis. Venite Prophetæ, qui Dei verba prophetastis. Venite Apostoli, qui Evangelium toti mundo prædicastis. Venite Martyres, qui amore mei, sanguinem fudistis. Venite Confessores, qui assidue carnem mortificastis. Venite Virgines, qui virginitatis florem mihi consecrastis. Venite ut omnes & singuli pro meritis vestris præmia recipiatis.*

*Affectus gaudii.*

**O** ! quantis incedent gaudiis electi, dum verba hæc, omni melle & favo dulciora, ex ore benignissimi Judicis inaudient? *Venite, Venite!* O vox jucunditatis & lætitiæ! vox triumphi & victoriæ! finis omnis desiderii, portus bonæ spei! O Judex clementissime! Ah! in illa die sonet (hæc) *vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. c. 2. 14. Lætare anima mea, audies eam



78 *Domus eternitatis. Consideratio*  
certò, modò in hac vita, aliam ejus vocem  
audieris & secuta fueris : nempe hanc:  
abnega temetipsam, tolle crucem, & se-  
quere me. Matth. c. 16. 24. Nisi hanc  
audieris, priorem audire non poteris :  
velle enim Christum sequi in possessione  
regni, sed non in procuratione regni,  
iniquum est.

26. *Januarii.*

I. **C**ONsidera deinde voces sequentes:  
*Benedicti Patris mei*; Posset Re-  
demptor noster & Judex æquissimus, va-  
ria electis suis encomia & honorum titu-  
los impetiri, in universali illa omnium  
hominum congregatione; posset eos ap-  
pellare servos fideles, socios individuos,  
amicos integerrimos, filios & hæredes  
suos amantissimos: verùm unâ hac voce  
*Benedicti*; complecti voluit omnia, tan-  
quam si diceret: *Venite benedicti*, servi,  
amici, fratres, filii & hæredes mei. Ne-  
que hæc vox, more humanæ benedictio-  
nis est tantùm, apprecativa, sed etiam  
efficax & effectrix omnis benedictionis  
cœlestis; quemadmodum in creatione

mill.



mundi: *Ipsè dixit & facta sunt.* Psal. 32.

II. Perpendendæ porrò causæ benedictionis: cur enim *benedicti*? Quia fuistis misericordes, ac in pauperes liberales: *Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* l. c. Quia extitistis mundi contemptores; carnis domitores, cacodæmonis victores, justitiæ amatores, gloriæ meæ propagatores, animarum zelatores, pietatis, castitatis, omniumque virtutum cultores, adeoque benedictione cœlesti dignissimi. Ita tamen, ut cujusque meritis, major vel minor benedictio respondeat. Sicut Patriarcha Jacob duodecim filiis suis: *Benedixit singulis, benedictionibus propriis.* Gen. c. 49. 28. Quæ, uti & omnes aliæ, ultimæ hujus & perpetuæ benedictionis umbræ & figuræ extitêre.

III. *Benedicti Patris mei.* Benedicti non Abrahamæ, non Isaac, non Jacob, non Moyſis, non aliorum Patriarcharum aut Prophetarum; sed Patris mei æterni; & Patris vestri cœlestis, qui vos elegit, prædestinavit, dilexit, vocavit, & *benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Ad Ephes. c. 1. 3. Eritisque benedicti in



80 *Domus eternitatis. Consideratio*  
æternum; qui vobis benedixerit, erit be-  
nedictus; qui vobis maledixerit, maledi-  
ctionibus repleatur. O quas tunc, electi,  
pro tali ac tantâ benedictione, grates  
referent?

*Affectus spei.*

**O** Sors beata! ô benedictio exoptata!  
Sperem omnino te mihi obventu-  
ram! sed quâ ratione merebor audire il-  
lam dulcissimam Domini vocem? Audi  
Prophetam: *Innocens manibus, & mundo*  
*corde, qui non accepit in vano anima suam,*  
*hic accipiet benedictionem à Domino, &*  
*misericordiam à Deo salutari suo.* Psalm.  
23. 4. Custodi igitur innocentiam, serva  
cordis munditiam, fuge mundi vanita-  
tem, largire eleemosynam, sectare vir-  
tutem, & benedic Deum cœli, quia fecit  
tecum misericordiam suam: atque ita  
cum gaudio & exultatione audire  
mereberis: *Venite benedicti*  
*Patris mei.*





27. Januarii.

I. **R**umina denique ultima verba sententiæ Judicis: *Possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi. l. c. Possidete regnum.* Regnum non terrenum; non arctis limitibus circumscriptum; non temporaneum, paucorumque annorum; sed cœleste, amplum, æternum, regnum omnium sæculorum: quod ego sanguine & morte meâ vobis promerui, & vos cooperando divinæ gratiæ cõmeriti estis: illud igitur *possidete*, tanquam servi fideles denarium, tanquam agonistæ strenui bravium, tanquam pugiles legitimè certantes coronam, tanquam filii regii, debitam hæreditatem & regnum: *Possidete* illud non centum annis, non centum annorum millionibus; sed in perpetuas æternitates; omnino securi & certi, nullâ vos vi aut violentiâ eo unquam spoliandos.

II. Est enim regnum *paratum vobis*; non Angelis tantum, sed etiam *vobis*, Angelorum rebellium locum occupaturis. *Vobis* tam animabus, quàm corporibus vestris æternum in eo regnaturis. O quanta Dei erga vos dilectio & liberalitas!



82 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
tas! pro modico labore, pro brevi servi-  
tio, integri, vastissimi, nobilissimique  
regni possessionem largientis! & quidem  
regni in omnia saecula perennaturi. In  
quo omnibus hujus vitae miseriis liberi;  
maximis divitiis, honoribus summis, &  
inaestimabilibus deliciis sine fine per-  
fruemini.

III. Et quidem hoc regnum à Deo pa-  
ratum vobis, à constitutione mundi.  
Quanta hinc rursus elucet Patris aeterni  
charitas ac benignitas, qui electis suis eo-  
dem, quo mundum condidit, momento,  
regnum hoc caeleste praeparavit. *Para-*  
*vit illis civitatem: Hebr. c. 11. 6. Para-*  
*vit: non donavit; sed praeparavit Deus il-*  
*lis, qui diligunt illum. 1. Corinth. c. 2. 9.*  
*Præparavit ac proposuit, tanquam mer-*  
*cedem laborantibus, tanquam bravium*  
*currentibus, tanquam præmium diligen-*  
*tibus, tanquam stipendium, hostes ac*  
*tentationes vincuntibus. Unde ait vos*  
*estis, qui permansistis mecum in tentationi-*  
*bus meis (in adversis, in crucibus, in per-*  
*secutionibus usque ad mortem) ideo E-*  
*go dispenseo vobis, sicut disposuit mihi Pater*  
*meus*



mens regnum, ut edatis & bibatis super  
mensam meam in regno meo. Luc. c. 22. 29.

*Affectus gaudii.*

**O** Amabilis Judicis benignissimi sen-  
tentia! Quis non miretur? quis præ  
gaudio non exiliat? *Venite, ô lætitia!*  
*benedicti: ô felicitas! Patris mei: ô dile-*  
*ctio! Possidete: ô securitas! Regnum: ô li-*  
*beralitas! Vobis paratum: ô paterna*  
*providentia! à constitutione mundi: ô*  
*antiquitas! Concede mihi, obsecro, Do-*  
*mine; ita animam meam, virtutibus ex-*  
*ornare, ut tu in ea regnes, hîc per gra-*  
*tiam, ibi per gloriam: atque in die judi-*  
*cii, audire merear: Venite benedicti. Sede-*  
*te mecum ad conregnandum in throno,*  
*sicut & ego cum Patre meo, sedeo*  
*in throno ejus. Apoc. c. 3. 21.*





## CONSIDERATIO X.

Sententia infelicis æternitatis.

*Discedite à me maledicti in ignem æternum. Matth. c. 25. 21.*28. *Januarii.*

I. **C**onsidera, quâ invidiâ rumpentur, quo dolore contabescunt, quo furore frendebunt; dentibusque stridentibus reprobi, cum videbunt electos in sublime ferri, & gloriosè ad cœlos ascendere, se verò relinqui: an non tunc in eis implebitur illud Psalmi 111. 10. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet?* Quanto cum tremore interim stabunt, decretoriam & irrevocabilem summi Judicis sententiam præstantes? Quanto cum horrore videbunt libros apertos, scelera sua toti mundo distinctè repræsentantes? ideòque malum omnium malorum maximum, id est supplicium æternum pertimescentes? Quanto pavore tunc in eis implebitur scriptura, *Mane, Thecel, Phares?* *Mane:* numeravit Deus vitam tuam, & complevit eam



eam. *Thecel* : appensus es in statera, & inventus es minus habens. Minus rationis, minus virtutis, multum verò amentia, multum crapulae & vitiorum. *Phares*. *Divisum est regnum tuum* : subjicietur enim anima tua & corpus tuum Dæmonibus.

II. Cogita ulteriùs, si & te, quod Deus avertat, contigerit infelicibus hisce, ob scelera tua, annumerari, quanto rubore & confusione repleberis? Quàm terribile tibi accidet, comparere coram Judice omniscio; quem toties graviter offendi-  
sti? Quàm terribile erit, stare coram Rege, cujus majestatem despexisti? Quàm terribile erit adduci ad Redemptorem, cujus sanguinem conculcasti? Quàm terribile erit venire in conspectum Ducis; quem, fugiendo ad hostes, turpiter deseruisti? Quàm terribile erit consistere coram sponso, cui fidem nequiter viola-  
sti? Quàm denique terribile erit, Judicem hæc exprobrantem audire; ac prolatâ electorum amabili sententiâ, vultu repente immutato, & iram, vindictam-  
que spirante, formidabilem in reprobos sententiam pronuntiare? III.



III. *Tunc dicet & his*, qui à sinistris erunt; *Discedite à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* l. c. *Discedite*, prævaricatores, impii, scelesti, refractarii; qui præcepta mea despexistis, & in sceleribus vestris immortui estis. *Discedite*, superbi, invidi, gulosi, avari, & impudici; qui majore mundum, quàm cœlum; carnem quàm spiritum; nummum, quàm Deum, amore persecuti estis. *Discedite à me*, Redemptore vestro, Rege vestro, Patre vestro, Magistro vestro, summo bono vestro. *Discedite à me*, à facie mea; ab amicitia mea, à protectione mea, à regno meo, à visione clara mei, & à perenni honorum omnium fonte. Nec tantùm à me; sed & à matre mea, à sanctis Angelis, cunctisque cœli civibus beatis, quorum Societate indignos vos reddidistis.

*Affectus timoris & zeli.*

**O** Verbum tremendum! **O** tonitruum formidandum! **O** vox Judicis suprema, omni tuba clarior, omni lessu tristior, omni turbine violentior, omni fulmine



mine concitator & terribilior! ô si crebrò nunc auribus meis insonares, ad cautelam; præsertim dum sto in peccati præcipitio; ne tunc feries ad perniciem perpetuam! O si assiduè reboares, per Regum aulas, per Senatorum curias, per militum turmas, per mercatorum tabernas, per universas mundi plagas, & saxea peccatorum corda, à sceleribus retraheres, atque ad pœnitentiam emollires & confringeres! O fulmen tremendum! *Discedite à me! Discedite!*

29. Januarii.

**I.** PErpende, quoque formidabilem illam vocem, *Maledicti*. O quid est hoc, *maledicti*? Maledicti nimirum, non unâ maledictione, sed omni, & omni ex parte: maledicti in anima; maledicti in corpore; maledicti in memoria; maledicti in intellectu; maledicti in voluntate; maledicti in sensibus & membris omnibus; maledicti super terram; maledicti sub terra; maledicti in tempore; maledicti in æternitate: idque jure merito: quia *maledicti, qui declinant à mandatis tuis*. Plal. 118. 21.

II.



II. Recole omnes Veteris Testamenti maledictiones, à Deo per Moysen populo Hebræo intentatas: maledictiones in civitatibus, maledictiones in agris; maledictiones in prolibus, maledictiones in pecoribus, maledictiones in omnibus rebus terrenis, umbras solum ac figuras extitisse hujus summæ & extremæ maledictionis. Jam si Esau, paternâ benedictione privatus *Irrugit clamore magno. Gen. c. 27. 34. & contristatus est vehementer: qualem, obsecro, rugitum, planctum, ejulatum emittent reprobi, non tantum benedictione paternâ privati; sed & maledictione insuper æternâ percussi; idque pro vili lente; id est pro momento voluptatis, pro puncto honoris, pro fumo vanitatis, pro frustulo terræ albicantis aut flavescens?*

III. Quæ mens concipere valet, quis dolor, quæ consternatio, quæ desperatio, & trepidatio infelices illos in vasura sit, ad fulminatricem hanc sententiam? Præsertim cum nullum detur remedium; nulla spes appellationis, revisionis, aut evasionis affulgeat; sed effugia cuncta sint  
præ-



præclusa, & omnia tentamina sint frustranea? O peccator! Quid tibi videtur? An non hæc est dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, dies amara valde? Dies furoris Domini, dies vindictæ; in qua omnis fortis enervabitur, omnis sapientia devorabitur, omnis superbia confundetur; omnia abscondita revelabuntur, & omnia scelera, maledictione perpetuâ plebentur. *Arescentibus hominibus præ timore?*

*Affectus horroris.*

**O** Miserrime peccator! Quis, nisi excors, ad hoc maledictionis tonitru, non trepidet & expallefcet? Hæc est maledictio illa, quàm quivis peccator, dum peccat lethaliter, sibi accersit: hæc est sententia, quam quilibet impius, in hac vita sibi scribit, tunc publicanda. Heu! bone Jesu: si hanc ego mihi scripsero, ubi me abscondam, cum veneris in nubibus cœli, & tubâ clangente, ad tribunal tuum peremptoriè me citaveris? Ubi omnia gesta mea discutientur sine exceptione, judicabuntur sine personæ acceptio-



90 *Domus aternitatis. Consideratio*  
ceptione, condemnabuntur sine remis-  
sione, punientur sine commiseratione?  
*O quis mihi, tunc, tribuat, ut in inferno*  
*protegas me, & abscondas me, donec per-*  
*transeat furor tuus? Job. c. 14. 17. Do-*  
*mine, cum veneris judicare, noli me con-*  
*demnare!*

30. *Januarii.*

I. **C**ONSIDERA porò illa sententiæ ulti-  
mæ verba: *In ignem aeternum.* Ubi  
adverte terminum à quo, & terminum ad  
quem. *A me, in ignem aeternum.* Non leve  
profectò malum foret, ab amabili JESU  
facie, expelli in exilium; sed insuper si-  
mul deturbari in *ignem sempiternum*,  
hoc fanè supplicium est incomparabile.  
*A me,* indicat pœnam damni, quia lethali-  
ter peccans, à Deo se avertit: *in ignem,*  
indicat pœnam sensûs, quia convertit se  
ad creaturas. O qualis ignis, quàm dirus  
& atrox! Ignis hic enses, forfices, sagittas,  
serpentes, & quidquid in abyssò pœna-  
rum est, complectitur; omniâque reddit  
quasi ignea; ipsum adeò damnatorum  
anhelitum: *Spiritus vester, ut ignis vorabit*  
*eos. Isaiaë c. 33. 11.*

II.



II. In ignem *aternum*. Ergone pro brevi voluptate, ignem *aternum*? Justè sic: quia namque peccatores vitam suam Deo consecrandam, in vitiis, concupiscentiis pravis & corporis voluptatibus insument; & si daretur tamdiu vivere, in æternū in iis persisterent, hinc meritò, plectuntur igne æterno: & quia peccati malitia est quodammodo infinita, cūm repugnet Deo infinito; jurè pœna infligitur infinita. *In mensura, contra mensuram, cūm abjecta fuerit judicabis eam.* Isaia c. 27. 8. *Id est in mensura pœnæ, contra mensuram, culpæ reprobis judicetur.* Discedite igitur *in ignem aeternum*; qui semper ardebit, nunquam extinguetur; semper cruciabit, nunquam enecabit: siquidem *Die & nocte non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus.* Isaia c. 34. 10.

III. *Qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* I. c. *Regnum cœleste paratum est vobis: at infernus paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Ut primūm enim Diabolus cum Angelis suis rebellavit; mox in pœnam conditus est carcer infernalis, qui



92 *Domus aternitatis. Consideratio*  
quidem etiam ad cruciandos homines  
ordinatus est, quoniam tamen Diabo-  
lus primū n deliquit, ideo primus ac præ-  
cipuus inferni condendi finis exitit.  
Hinc Judex ait: *Qui paratus est Diabolo*  
*& Angelis ejus.* Inter quos & cum qui-  
bus peccatores vivent & cruciabuntur  
semper. Et hic est ille *fluvius igneus rapi-*  
*dusque, qui egredietur de ore ejus.* Dan. c.  
7. Estque, ut exponit S. Hieronymus,  
ipsa Judicis sententia, efficacissima, & ce-  
lerrima instar fluminis ignei, improbos  
in tartarum abripiens & absorbentis.

*Affectus timoris.*

**O** Cui ad tale fulmen, aures ambæ  
non tinniant? O si illā tubā tre-  
menda & sententia formidanda, identi-  
dem auribus meis insonaret! quā po-  
tenter me à malo revocaret, & ad bonum  
incitaret? Vide anima mea, quam tibi in  
hac vita sententiam scribas; an benedi-  
ctionis æternæ, an verò maledictionis  
perpetuæ, si hanc elegeris, certò tibi e-  
veniet: *Dilexit maledictionem & veniet*  
*ei, noluit benedictionem, & elongabitur*

ab



ab eo. Psal. 108. 26. Nec tota æternitate  
 obtinebitur : Sicut Esau postea cupiens  
 hereditare benedictionem, reprobatus est ;  
 non enim invenit pœnitentia locum, quan-  
 quam cum lacrymis quesivisset eam. Hebr.  
 c. 12. 17.

CONSIDERATIO XI.

Comites æternitatis.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur ;  
 amodo jam dicit spiritus ut requiescant à  
 laboribus suis : opera enim illorum  
 sequuntur illos. Apoc. c. 14. 13.

31. Januarii.

I. **M**orte obitâ & latâ decretoriâ sen-  
 tentiâ, mox sequitur sententiæ  
 executio : & quidem in extremo die judi-  
 cii, quoad corpus & animam ; in particu-  
 lari autem judicio, corpore terræ man-  
 dato, sola anima ad locum pro merito  
 deducitur. Quod si anima penitus ex-  
 purgata ac munda sit, deportatur in pa-  
 triam cœlestem, si verò reprobationis  
 fulmine tacta sit, mox deturbatur in in-  
 fernum. Quia contra hanc sententiam  
 Judi-



Judicis, non est sapientia, non est fortitudo, non dignitas, non majestas, non fraus, non dolus, non fuga, non latebra, non ullum privilegium, aut substitutio, aut exceptio, aut condonatio: sed omnis status, ætas, sexus, dignitas apud hunc Judicem æqualis est, & sine discrimine: unusquisque enim in persona propria parere, & quantocyus se submittere cogitur. At quinam animæ judicatæ erunt Comites?

II. *Comes* itineris animæ damnatæ, ad æternitatem infelicem, est diabolus: latâ enim fatali sententiâ, Deus animam maledictam protectione suâ destituit: S. Angelus tutelaris deserit, dicens: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Jerem. c. 51. 9. Multa adhibui salutis & curationis media; sed iis, uti noluisti; monui, suasi, inspiravi, excitavi, terrui; sed cuncta despexisti, ideóque cacodæmonis potestati te relinquo, qui debitam proterviæ & rebellionis tuæ pœnam de te sumet.

III. Et ecce, eodem momento, Diabolus, ingenti cum exultatione animam  
infe-



infelicem, ab omnibus desertam abripiet, cunctisque lamentationibus reiectis, eam ad carcerem tartareum deportabit. Atque ita è lectulo suo, in quo morte in speciem placidâ & felice; sed re ipsa infelicissimâ exspiravit, in puncto ad infernum descendet. O tristis catastrophe! quâ de uno extremo bonorum temporalium, ad aliud extremum suppliciorum æternorum, horrendus fit saltus ac transitus.

*Affectus anime damnate.*

**O** Quis pavor, quis dolor, quæ lamentatio, animæ ad tartara descendentis! Eheu! exclamat, quò ravior? væ, væ, miseræ mihi! siccine projicior à facie Dei, nunquam illum visura? siccine privor omni jure ad cœlestia regna? siccine deturbor ad inferni abyssum, nunquam inde reditura? O quàm damno meam cæcitatem, stultitiam: ac malitiam! O quàm nunc de rebus mundi longè alia formo judicia! O quàm damno nunc pravas societates, pessimâque earum consilia & exempla! O quàm felix essem, si

E

ser-



96 *Domus eternitatis. Consideratio*  
servassem Dei mandata, vitassem scelera,  
exercuissem bona opera, & quæsissem  
lucra æterna! sed frustra sunt nunc om-  
nia, perii, & eheu! æternùm perii, judi-  
dicata, damnata, reprobata & in carce-  
rem avernalem detrusa; ubi omnes dam-  
nati & damnatæ mecum *cruciabuntur*,  
*die ac nocte in sacula saculorum. Apoc. c.*  
*20.10.*

*I. Februarii.*

**I.** *Comes itineris* ad beatam æternita-  
tem, animæ beatæ est S. Angelus  
Custos : prolatâ enim amabili Christi  
Judicis sententiâ, eodem momento Ca-  
codæmon fugam cepit: Angelus verò  
tutelaris, plurimis Angelis stipatus, ani-  
mam suscipit, eamque ( si nihil purgan-  
tibus flammis purgandum restet ) veluti  
olim Lazari pauperis animam, in sinum  
Abrahæ, subitò in patriam cœlestem cum  
ingenti gaudio deducit, ubi amabilissi-  
mo Dei conspectu, aliisque bonis ac  
gaudiis, absque omni amissionis metu,  
æternùm perfruetur.

**II.** Hic jam considerare licet, cœle-  
stium incolarum applaudentium gau-  
dia:



dia: O quanta cum hilaritate & gratulatione, animæ huic beatæ, occurrent cœlestes Genii & Sanctorum chori? quanta jucunditate & lætitiâ eam excipient, dexteras porrigent, ruent in amplexus, & adstringent brachiis, egredientem de navigatione hujus vitæ, deque navigio corpusculi sui, & subintrantem portum salutis, ac beatæ æternitatis primordia delibantem? Tunc eam illi in manibus portant: tunc universas ejus meritorum sarcinulas explicant, tunc eam divino præsentant conspectui: atque ubi illa præparatis à divina manu coronis submitit verticem; destinato eam ordini inserunt, & in sede promerita collocant, felicem circa eam finem & exitum sibi gratulantes.

III. Consideranda quoque sunt animæ hujus gaudia: quàm enim ineffabili lætitiâ perfundetur, in primo illo paradisi cœlestis introitu? quando miseris omnibus deterfis, videbit mœrorem in gaudium, ignominiam in gloriam, spem in fruitionem, timorem in securitatem transisse? Quo mentis jubilo gestiet,



98 *Domus aternitatis. Consideratio*  
quando se videbit conscriptam esse re-  
gni cœlestis hæredem, Angelorum so-  
ciam, civem Sanctorum, Domesticam  
Dei, mari divinitatis ac felicitatis æter-  
næ penitus immerfam, nunquam emer-  
suram? O quæ tunc consolatio & con-  
gratulatio Angeli Custodis & animæ vi-  
cissim erit? Quando ille quidem in hac  
dirigenda & curanda industrias; illa vi-  
cissim suam in obediendo sanctis ejus  
monitis ac salutaribus consiliis facilita-  
tem, fidelitatem & perseverantiam re-  
censebit?

*Petitio.*

**O** *Moriatur anima mea morte iusto-*  
*rum, & fiant novissima mea, horum*  
*similia. Num.c. 23. 10.* Idque ut obti-  
neam S. Archangele Michael defende  
me in prælio, ut non peream in tremen-  
do iudicio! Tu quoque sancte mi Angele  
Custos, in hujus vitæ navigatione, cur-  
sum dirige, memoriam refrica, mentem  
illustra, voluntatem torpentem excita, à  
malo retrahere, ad bonum impelle, assidue  
inspirans & aspirans; ut *salvâ nave &*  
*salvis*



salvis mercibus, pervenire merear ad portum perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finiendæ securitatis. S. Aug. med. c. 24.

## 2. Februarii.

I. **P**Ræter Comites antedictos, sunt & alii Comites, qui comitantur & animam nunquam deserunt, de quibus S. Joannes Apoc. c. 14. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Et animæ quidem damnatæ Comites sunt, omnes graviores noxæ, pœnitentiâ non deletæ, omnia scelera, omnia scandala, comestationes, ebrietates, turpitudines, votorum violationes, furta, injustitiæ, calumniæ, detractiones, hypocrites, omnia peccata etiam occultissima, quæ animam velut maculæ deturpant, velut stigmata dehonestant, velut sagittæ infixæ lancinant, velut carbones igniti ustulant, velut vultures arrodunt, velut carnifices torquent & cruciant in æternum.

II. Animæ verò beatæ comites indivi-  
dui sunt, virtutes supernaturales, quæ eam illustrent, condecorant ac nobilitant:



100 *Domus eternitatis. Consideratio*  
tant: Talis est charitas, quæ tanquam ve-  
stis nuptialis & deaurata mirificè exor-  
nat; talis est humilitas, patientia, justitia,  
fortitudo, prudentia & temperantia, quæ  
veluti adamantes, smaragdi & pyropi  
vestem sponsæ polymitam, quàm maxi-  
mè ornant, & in ea velut stellæ fulgidis-  
sime totâ æternitate radiant. Quibus ac-  
cedunt, merita operum bonorum, ora-  
tionum, eleemosynarum, jejuniorum, ca-  
stigationum corporis, Sacramentorum,  
concionum, aliorumque laborum Apo-  
stolicorum; quæ omnia præmiis æternis  
coronantur in cælis.

Atque hæc de Comitibus animæ ad  
æternitatem, finito iudicio particulari  
abeuntis.

III. Quinam verò, in die iudicii uni-  
versalis præter antedictos, erunt Comi-  
tes? Comitabuntur tunc animas beatas  
ad cœlestem gloriam eorum corpora, re-  
suscitata: cogita, qualis jucunditas qua-  
lis jubilus, qualis plausus futurus sit,  
quando tot milleni milliones beatorum,  
quasi in triumpho gloriosissimo, cœleste  
capitolium petent! Ex adverso, in carce-

rem



rem stygium comitabuntur omnia corpora reproborum. O quis tunc erit clamor & ejulatus ! imaginare tibi clamorem turcici exercitûs centum millium militum, ad pugnae initium, hostis que terrorem, horrendum clamorem excitantis : sed quid hic clamor, ad clamores, ejulationes, ploratus, ululatus, tot millium millionum damnatorum, uno quasi impetu in orcum ruentium ? O qualis facies ! qualis ruina ! qualis strages, qualis desolatio & abominatio ? non secus ac si fractus, totus illaberetur orbis.

*Petitio.*

**O** Salvator amantissime & Judex clementissime ! adsis mihi gratiâ tuâ ; ut tota vita mea, non sit nisi una virtuosorum operum catena & series continua ; quæ me in æternitatem beatam comitentur ; vitem verò peccata, quæ me in æternitatem pœnarum, cum corpore & anima, inter innumerabiles plorantes, & vociferantes præcipitent : sed potiùs velut navis, preciosis mercibus onusta, felicitatis portum, cum gaudio ingrediar,



diar, ubi misericordias tuas in aeternum  
cantabo: ubi *latabor* & *exultabo* in te  
*psallam* nomini tuo, *Altissime*. Psal. 9. 3.

## CONSIDERATIO XII.

Ethnicorum antiquorum erronea  
opinio de aeternitate.

*Ut quid diligitis vanitatem, & queri-  
tis mendacium?* Psal. 4. 3.

3. Februarii.

I. **C**onsideravimus haecenus propy-  
laeum Domus aeternitatis, sive  
prodroma ac praambula; & tum mentis  
obtusibus, tum affectibus voluntatis, tan-  
quam pedibus, secuti sumus animas us-  
que ad ingressum Domus aeternae: nunc  
videndum, quid, qualis, quamque diu-  
turna sit aeternitas. Prius tamen veterum  
Romanorum ethnicorum errores dete-  
gendi sunt; videndumque quid non sit  
aeternitas, quò facilius aliquid de ejus  
immensitate percipiamus.

II. Fuit nonnulla in priscis illis Ro-  
manis, licet obscura aeternitatis cog-  
nitio: quam vel ipsimet Poetae fictionibus  
suis



fuis multiplicibus adumbrarunt: quid enim aliud indicat Ixionis rota, quæ semper volvitur? Quid vultur Promethei, & jecur, quod semper renascitur? Quid dolia Danaidum, quæ semper implentur aquâ, nunquam replentur? Quid saxum Silyphi, semper volutum, illudque semper tollere, nunquam sustulisse? Quid litis Tantalii, mediis in aquis, semper fugacia poma captantis, nunquam capientis? Umbræ hæ sunt, & symbola obscura pœnarum æternitatis.

III. Verùm in hoc cæca fuit antiquitas illa, quòd æternitatem quæsierit, ubi non erat: quæsiuit enim, nomen, famam & gloriam æternam, Augustus Cæsar in ludis, Nero in donis, Caligula in pontibus, Claudius in fontibus & aquæductibus, Antoninus in thermis, Domitianus in Statuis; sed nemo illorum eam invenit. Alii æternitatem nominis sui, quæsiwere in pugnis & victoriis, in trophæis & triumphis: alii in pyramidibus & colossis, in palatiis & templis, in sepulchris & mausoleis; alii in artibus & scientiis, in voluminibus & libris, sed non repe-



104 *Domus eternitatis. Consideratio*  
rêre: quia ibi non erat: nihil enim in  
mundo stabile, nihil perenne, omnia ve-  
terascunt, omnia deficiunt, transeunt  
atque intereunt. *Vidi, ait, Salomon, cum-*  
*sta qua fiunt sub sole, & ecce universa vani-*  
*tas, & afflictio spiritus. Eccle. c. 1. 14.*

*Affectus Compassionis.*

**A**H! quis vobis non compatiatur, o  
Romani! aliàs sat oculati; sed in  
negotio æternitatis cæci? Quis non ma-  
gîs deploret tot Christianos, opera etiam  
magnifica, vanitati, non æternitati im-  
molantes? O cæci filii hominum! *U-*  
*quid diligitis vanitatem & queritis men-*  
*dacium? l. c. Queritis æternitatem, & re-*  
*peritis vanitatem: Quia nihil fugacius*  
*seculo, rebûsque seculi, quas dum tenemus,*  
*amittimus; S. Isidorus L. 1. sup. Amos.*  
Facite opera magnifica, plura ac majora,  
cunctis Cæsaribus ac Regibus, & tan-  
dem, quisque cum Salomone fatebitur:  
*Cumque me convertissem ad omnia opera*  
*mea, vidi in omnibus vanitatem &*  
*nihil permanere sub sole. Ec-*  
*cle. c. 2. 11.*



I. **V**Estramne, ô Romani veteres! aliorumque ethnicorum antiquorum, videre desideratis umbratilem æternitatem, dicam an vanitatem? oculos, quæso, aperite & circumspicite: ubinam modò sunt illa olim famosa mundi miracula? Ubi pensiles Semiramidis horti? ubi Ephesinum Dianæ templum? ubi fastigiata pyramidum Ægyptiarum moles? ubi Hercules, in mari Gaditano, columnæ? ubi Rhodius Solis colossus? ubi Cyri regia, Mausoli sepulchrum, Caligulæ pontes, Pompeii theatra, turris Babylonica? ubi omnium Imperatorum ac Ducum bella, & prælia, victoriæ, triumphus & trophæa? cuncta evanuerunt, transierunt, perierunt: mortalia mortaliū erant opera: fuisse credimus, instar umbræ defuisse videmus.

II. In Deo & cœlis est veritas, id est æternitas; in terris vanitas, ubi omnia sunt varia, id est caduca & momentanea. Considera enim ulterius: ubinam nunc Ninive, illa urbs magna & inclyta? ubi Tyrus? ubi Baby-



106 *Domus eternitatis. Consideratio*  
lon? ubi Roma orbis Domina? nimi-  
rum *Roma Roma sepulta jacet. Vade illuc*  
& quære vestigium aliquod palatii Cæsa-  
ris, Augusti, Tiberii. Quære monumen-  
tum aliquod Scipionum, Fabiorum, Ca-  
millorum; & ubi nullum ex hisce, aliis-  
que Gentilium familiis, indicium repe-  
reris, omnem eorum memoriam periisse  
miraberis.

III. Sic Roma caput mundi est fortu-  
næ rota; sic reliquæ mundi totius urbes  
& Provinciæ, adeoque orbis hic totus, est  
*civitas vanitatis. Isaïæ c. 24. 10. Est glo-*  
bus & sphaera volubilis, in qua alia o-  
riuntur, alia occidunt;volvuntur omnia;  
summi descendunt, imi ascendunt, &  
ascendunt mox descensuri. Hæc autem  
mundi vanitas, maximè apparebit in ejus  
fine, atque in extremo die judicii, quo  
omnia, quæ in eo sunt, igne conflagra-  
bunt. Frustra igitur in fluxis hisce rebus  
quæritur æternitas, in quibus nihil repe-  
ritur nisi vanitas & inanitas.

*Exprobratio.*

**O** Igitur stolidi & cæca antiquitas,  
aliàs sat docta & sapiens! ubinam  
nunc,



nunc, obsecro, marmorea & saxea tua  
 æternitas? Restat sola memoria in libris  
 & chartis: & quid inde tibi emolumentum,  
 nisi laus & gloria inanis, apud homines?  
 sed quid, juvat, laudari ubi non es, &  
 cruciari ubi es? Agnoscis nunc utique li-  
 cet serò quòd in mundo omnis gloria sit  
 falsa, quia vana; in cœlo reperiatur glo-  
 ria vera, quia æterna. *Ibi enim verus ho-*  
*nor, qui nulli negabitur digno, nulli defere-*  
*tur indigno; sed nec eum ambiet ullus in-*  
*dignus, ubi nullus permittitur esse, nisi di-*  
*gnus.* S. Aug. L. 22. de civ.

## 5. Februarii.

**M**Ajor sapientia & lumen refulsit in  
 priscis Christianis, qui hanc mun-  
 di vanitatem, Deique veritatem & æter-  
 nitatem clarè perspiciebant; ideòque il-  
 lam spernebant, hanc unieè quærebant.  
 Videbant bona cœlestia habere substan-  
 tiam plenam ac solidam; terrena verò te-  
 nuem & umbraticam. Videbant delicias  
 tantùm titillare; ad momentum, gulam;  
 non penetrare, non satiare. Videbant ho-  
 norem non esse rem solidam; sed tantùm



108 *Domus eternitatis. Consideratio*  
æstimationem & opinionem hominum  
variabilem ac fluxam. Videbant aurum  
& argentum esse terram, uniones con-  
charum excrementa; nobilitatem, non  
nisi ex factis avorum & proavorum  
progenitam: imò videbant terram to-  
tam, respectu cœli, non nisi centrum ac  
punctum esse, ideòque in omnibus istis  
æternitatem non posse constitui, rectè  
censebant.

II. Intelligebant quoque optimè om-  
nium rerum mundanarum, varietates,  
mutabilitates, ærumnas ac miserias, quas  
S. Nazianzenus in carmine de vitæ itine-  
ribus præclarè describit: *Pulchritudo,*  
*inquit, est brevis, gratia fulgetro similis,*  
*juventus fervor temporis, canities tristis*  
*vita occasus, gloria aër, nobilitas vetus san-*  
*guis, robur commune cum apris; satietas*  
*petulans; matrimonium vinculum; libe-*  
*rorum copia, curarum seges; forum vitio-*  
*rum schola; artes abjectorum hominum*  
*angustus & alienus panis: omnia denique*  
*humana, metus sunt, risus sunt, lanugo*  
*sunt, umbra, ros, status, volatus, vapor, in-*  
*somnium, fluctus, navis vestigium, aura.*

Et



Er tam stolidus fuerit ullus Christianus, verâ fide imbutus, ut in his aliisque instabilibus bonis, cum Romanis, æternitatem quæsierit?

III. Nequaquam sanè: sed hi lumine divino collustrati, æternitatem quæsi-  
vère non in exilio; sed in patria; non in  
membranis & chartis, sed in libro vitæ;  
non in ædificiis & operibus manufactis,  
sed in Domo non manufacta, in cœlis.  
Non in præliis & trophæis de hostibus  
reportatis; sed in victoriis de cupiditati-  
bus & vitiis. Quæsi-  
vère gloriam non in-  
anem, sed perennem per strenua virtu-  
tum opera, Christi meritis nixa; per he-  
roica facinora; per preces & jejunia, per  
elemosynas & opera pœnosa; per ani-  
marum conversiones, missiones, & apo-  
stolicos labores. Quæsi-  
vère per tolera-  
tas persecutiones, rotas, cruces, ignes, gla-  
dios & secures: per vulnera & supplicia,  
per martyria & mortes, ideóque Deum  
& æternitatem feliciter reperère in illa  
civitate gloriosa: *ubi victoria, ubi veri-  
tas, ubi dignitas, ubi vita, ubi æternitas  
regnat.* S. Aug. de vit. æt.

Colle-



*Colloquium.*

**Q**Uare, ô anima mea! cave ne delires, cum priscis ethnicis, ut æternitatem imaginariam quæras in perituris; sed cum Christianis antiquis & modernis verâ imbutis sapientiâ, sectare æternitatem beatam per generosam & heroica virtutum opera; per victoriam passionum; per tolerantiam persecutionum, contradictionum, contemptuum, martyriorum ac per alia salutis, perfectionisque adminicula. Quære gloriam, honorem, divitias non coram terræ vermiculis; sed coram Deo & Angelis, *Quære thesaurum (æternitatis) non deficientem in cælis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Lucæ c. 12. 33.* Ubi vera opulentia perseverat, gloria perennat, nomen, fama & omnia æternant.



CON.



## CONSIDERATIO XIII.

## I. Symbolum æternitatis.

Palimpsestus, numeris arithmeti-  
cis signatus,

*Non erit finis. Lucæ c. i. 33.*

*6. Februarii.*

I. **Q**uemadmodum in aliis artibus ac scientiis, abstrusiora & difficiliora captu, præmissis notabilibus, si vilitudinibus ac symbolis elucidantur: ita & nos, ut in æternitatis adyta facilius penetremus, ejusque naturam, durationem, ac proprietates pro imbecillitate intellectus nostri, quoquo modo, capiamus, ea similibus, symbolis ac hieroglyphicis quibusdam declarabimus. Æternitatem enim infinitam, ab intellectu finito, plenè; perfectèque concipi, impossibile est.

II. Primò igitur palimpsestus, seu membrana deletilis, aut si mavis tegula calculatoria, numeris arithmeti-  
cis quaginta duobus inscripta, symbolum nobis & imaginem, seu potius umbram  
imagi-



112 *Domus eternitatis. Consideratio*  
imaginis æternitatis repræsentat. Neque  
enim quisquam mortalium eam sic ani-  
mo concipere valet, ut omnino compre-  
hendere & liquidò dicere, quid ipsa sit,  
queat: neque ulli numeri, quantumvis  
multiplicati sufficiunt, ut vel ruditer ex-  
primatur, aut ejus duratio indagetur. Pro  
adumbratione tamen nonnulla, juvat  
palimpsestum arripere, & calculum  
inire.

III. Clavius, mathematicus, ævi sui  
celeberrimus, asserit; si palimpsesto, aut  
tegulæ unam inscribam unitatem, cum  
duabus & quinquaginta nullitatibus,  
tantum inde resultare numerum, ut si  
darentur tot grana papaveris, quot dicto  
numero exprimuntur; illa totum mun-  
dum, cum aëre, usque ad cælum empy-  
reum, impletura essent. O quantus,  
quàmque incredibilis propè numerus!  
Assigna nunc cuilibet grano sæculum u-  
num, & infer: tot sæculis regnabit Deus,  
cum Sanctis suis in cœlo: tot sæculis ar-  
debit Lucifer cum damnatis in orco, &  
adhuc infinitè ampliùs.

*Admi-*



*Admiratio.*

**O** Æternitas, duratio semper manens, semper stans, semper immobilis, omnia finiens, ipsa infinita, quis capiat, omnia in te contenta sæcula? O quanta lætitiæ causa es Beatis? Quanta tristitiæ ansa damnatis? An non meritò, exclamemus cum Jobo c. 16. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inestimabilis? & ineffabilis & incomprehensibilis; sicut & annorum cujuscunque animæ, ubi fuerit vel in felici vel in infelici æternitate.*

*7. Februarii.*

**I. V**erùm, prædictum numerum, si lubet, non nihil exenteremus, & pro captu meliore explicemus. Scribe igitur in membrana deletitia 10000000000, 0000000000, 0000000000, 0000000000, 0000000000, 00. Hic numerus conficit mille cubos, mille millionum, qui quidem citò pronuntiantur, sed non tam citò elabuntur.

**II.** Quot enim myriades sæculorum dicto numero comprehendi arbitraris?

si



114 *Domus aternitatis. Consideratio*  
si arithmeticae gnarus sis, calcula: sunt enim millies millies, millies millies, millies millies, millies millies, millena millia saeculorum. Numerus sane grandis & stupendus.

III. Postquam tamen tot saeculorum millena millia, & à Beatis in caelo, & à damnatis in Inferno transacta fuerint (ut tandem transigentur, nihil certius) tunc & Beati & Damnati cum veritate asseverare valebunt; initium aternitatis nostra nondum est, finis nullus erit.

*Admiratio.*

O Aternitas! quam raro versaris in mentibus hominum! O Beatiorum aterna felicitas! O Damnatorum infinita calamitas! quis mortalium vos debite recogitat, pensat & considerat? Hinc tantus tepor in rebus aternis, tantus ardor in temporalibus. Hinc à plerisque lucris inhiatur terrenis, & corporis commodis, ut illud delicatè tractetur, lautis epulis saginetur, voluptatibus mulceatur; dum anima interim negligitur, fame premitur, peccatorum sordibus in-

qui



quinatur, & pro orco præparatur, ut  
inamoletur; sic *momentaneum* quod de-  
lectat, æterno antepositur.

## 8. Februarii.

I. Sed consideremus ulterius. Quod si  
S numerum antedictum augere libeat,  
scribe jam non duas & quinquaginta, sed  
unitati junge septuaginta nullitates, &  
testibus arithmetis ac Mathematicis,  
tantus exsurget arenularum, vel grano-  
rum papaveris numerus, qui mundum,  
millies mille millionibus millionum, no-  
stro majorem implet. O quis non mi-  
retur?

II. Sed pergamus ultrà, & unitati ad-  
damus nullitates centum, addamus, mil-  
le, addamus millies mille, imò tot quot  
scribi queunt in scheda, tam longâ, ut to-  
tum mundi globum ambire valeat. O  
Deus immortalis! quantus inde nume-  
rus exurgeret? Quis Mathematicorum  
eum calculet? Quis mortalium compre-  
hendat? Nolumus ejusmodi schedas  
multiplicare, & mundo circumducere,  
denas, vicens, centenarum, & millenas, nec  
tot,



116 *Domus eternitatis. Consideratio*  
tot, quot sunt in mari guttæ, atomi in  
aëre; quia mens nostra, præ multitudine  
obstupesceret.

III. Et tamen, tot anni, tot sæcula &  
sæculorum evolutiones, ac myriades,  
tandem, tandem attingerent finem: om-  
nibus autem finitis, verè dicent Beati,  
verè asserent damnati, nihil adhuc de æ-  
ternitate nostra decerptum est, quia tota  
& integra restat.

*Aspirationes.*

**O** Deus æterne! aperi oculos nostros,  
ut cognoscamus, quàm longa,  
quàm lata, quàm alta, quàm profunda  
sit æternitas! Illustra mentes nostras, ut  
pro modulo nostro penetremus, & quid  
sit, & quàm immensa sit, & quàm felix,  
vel misera sit æterna æternitas! Accende  
voluntates nostras, ut momentaneum  
vitæ nostræ tempus sanctè impendamus,  
ut laboremus æternitati, patiamur æter-  
nitati, certemus æternitati, omniâque  
nostra sic disponamus, ut vitatâ damna-  
tione perpetua, sempiternam visionis tuæ  
gloriam consequamur.

CON.



## CONSIDERATIO XIV.

## II. Symbolum æternitatis.

Bibliotheca referta libris.

*Excedit numerum. Num. c. 3.46.**9. Februarii.*I. **E**X tempore discimus æternitatem.

Tempus est duratio motûs transeuntis, ex non esse, in fore; ex fore in esse, ex fuisse in non esse. Huic opposita penitus est æternitas: nimirum duratio præsens, perstans, permanens, eadem semper: non enim habet futurum, neque post illud habet, præsens, neque post hoc habet præteritum: neque post præteritum habet, ut ita loquar, non esse, sed semper totum, & idem & duntaxat est.

II. Deinde quidquid est in tempore, transit cum tempore, & elabatur; ac recidit in non est, nihilque erit semper. Quod verò in æternitate est, semper est, semper erit; nunquam præterit, nunquam mutatur, sed quasi inchoans semper, est semper, idem semper: si enim non semper esset,



118 *Domus æternitatis. Consideratio*  
esset, aut non semper idem esset, jam æ-  
ternum non esset, nec in æternitate esset;  
sed in motu, in mutatione, in transitu,  
& sine esset.

III. Verùm declaremus hoc symbolo,  
seu umbrâ imaginis, desumpta ex Biblio-  
theca, libris, tomis, voluminibus, refer-  
ta; & faciamus, quot in libris sunt cha-  
racteres, tot annos æternitatis repræsen-  
tari. Ex quo clarè patebit, quàm constans  
& stabilis; quàm longa & immensa sit  
incomprehensibilis æternitatis duratio.

*Colloquium.*

**E**X his disce, anima mea, cum Davide,  
sæpe & seriò cogitare dies antiquos,  
& annos æternos in mente habere. Me-  
moriâ recolere, intellectu ponderare, vo-  
luntate deligere; Creata enim es tu æter-  
nitati, præfixus est tibi terminus ac meta  
æternitatis: manet te statio, mansio,  
portus & domus æternitatis, in qua  
infallibiliter & interminabi-  
liter habitabis.

\* \*  
\*



## 10. Februarii.

I. **I**ngredere igitur Bibliothecam , & primò obvium librum arripe. En librum Bibliorum, aperi, & primum caput Geneseos inspice , sicque tecum discurre. Si singulis sæculis, (sæculum voco centum annorum decursum ) una solùm litera ex hoc sacro codice delenda foret : ô quot laberentur sæcula , antequam vel primum caput libri Genesis, deleteretur ; quot antequam totus hic liber expungeretur ? Combina tot sæcula , & videbis , ac stupebis , quot milleni sæculorum milliones inde emergant.

II. Sed perge ulteriùs ac perpende ; quot deinde annorum centuriæ effluerent, antequam pari modo , per sæcula, successivè, deleterentur omnes characteres libri Exodi ? Quot antequam libri Numerorum ? Quot antequam Deuteronomii ? Quot antequam libri Judicum, Regum, Paralipomenon, Psalmorum, Proverbiorum, Prophetarum, Machabæorum, Evangeliorum, Epistolarum, & Apocalypseos penitus eraderentur ?

F

III.



III. O quis Arithmeticus tot sæculorum numerum ineat? Quis ad tantam sæculorum multitudinem, non expavescat & attonitus hæreat? Et tamen quid hæc omnia erunt ad longissimam aternitatem? Certo certius habe, tot, quot diximus sæcula, nec minimam aternitatis censendam esse particulam; utpote, in qua, nec ullus tempori, aut sæculo locus est, nec ullus finis. *Regni ejus non erit finis.* Lucæ c. i.

*Soliloquium.*

**O** Quid agimus, anima mea? quâ ratione, res nostras instituemus? neque enim cum aternitate ludendum est: scis indubitanter te omnino expectari, à longa adeò aternitate: scis te omnibus, brevis vitæ tuæ, momentis, ad eam totis passibus currere ac properare: an non igitur prudentis animi est, ita mores, actus, vitam, negotia, studia, tempora & omnia instituere; ut in aternitatem beatam influant? An non curâ, supra omnia, diligentissimâ cavendum tibi est, ne ullum delictum committas, quo exi-



exigente, deturberis in lamentabilem illam æternitatem; in quam, quotquot detrusi fuerint, *Cruciantur die ac nocte, in secula seculorum?* Apoc. c. 20.

## II. Februarii.

**P**ARUM est, quod diximus, methodo simili expungantur Librorum omnium totius Bibliothecæ, characteres: quibus expunctis, perge ad bibliothecam Vaticanam Romanam, & omnes bibliothecas Italiæ, deinde progredere ad bibliothecam Wolffenbutanam, omnesque bibliothecas Germaniæ; inde ad bibliothecam Parisiensem, omnesque bibliothecas Galliæ: inde ad bibliothecam Madritensem, omnesque bibliothecas Hispaniæ, denique ad omnes reliquas mundi universi bibliothecas, magnas ac parvas, atque ad libros per omnes virorum Doctorum & indoctorum ædes privatas, dispersos.

II. Et ubi per singula sæcula, singula grammata, omnium istorum librorum innumerabilium, dicto modo, deleta fuerint; quis mortalium computabit,



122 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
quot milliones millionum, & ut cum  
Mathematicis loquar, bimillionum, tri-  
millionum, quadri millionum effluxe-  
rint? Hic attonitus stupet animus!

III. Et tamen innumerabilibus hisce  
saeculorum millionibus praeterlapsis; tunc  
Damnatis, desperatissima dicet consciencia,  
de aeternitate nostra infelici, adhuc  
nihil ademptum est: & Beatis laetissima  
dictabit consciencia, tota nostra felicissima  
aeternitas, non accisa, non imminuta  
est; sed integerrima restat.

*Affectus doloris.*

**O** Quam doleo, me haecenus, obiter  
adeo ista perpendisse! O quanta est  
caecitas humana! o quam deploranda a-  
mentia! Si damnatorum aeternitas, non  
nisi tot duraret saecula, quot liber Gene-  
sis continet grammata; an non sat su-  
perque metuenda foret ac tremenda?  
Quam igitur erit formidanda, cum plu-  
ra in tormentis numeret saecula, quam  
integra biblia, & omnia totius mundi  
volumina characteres contineant? O  
quis labores ac dolores quoscunque non  
libens



libens sustineat; ut tot sæculorum tormenta evadat? Quis omnia mundi gaudia non libens spernat; ut sæculorum infinitorum gaudia in cælo acquirat? *Finiti ad infinitum nulla proportio.*

CONSIDERATIO XV.

III. Symbolum æternitatis,

maria & flumina.

*Absque ullo numero. 2. Paralip. c. 5. 6.*

12. Februarii.

**D**ari in rerum natura æternitatem, ex eo patet, quia Deus est: qui si hoc est, quod naturâ suâ esse debet, & quod esse concipitur, quando verè & debitè concipitur, necessario æternus est; ac proinde æternitate suâ æternus est, ideóque æternitas est: quemadmodum enim impossibile est, Deum non esse, ita & impossibile est, æternitatem non esse. Atque hæc est æternitas completa & essentialis, à qua in Angelos & homines æternitas incompleta & quasi dimidiata promanat.



II. Umbra prorsus est & umbrarum umbra, quidquid de utraque ista æternitate vel concipimus, vel dicimus, vel scribimus, vel pingimus, vel numeramus: siquidem omnem conceptum, omnem loquelam, omnem calamum, omnem penicillum & numerum longissimè excedit.

III. Pro meliore tamen intelligentia, juvat eam diversimodè, & aliis atque aliis similitudinibus, & umbrarum lineis, descriptam, ob oculos ponere; ut cordibus nostris profundius imprimatur; & secundum ejus dictamina, vita instituat. Juvat enim in hac vita ejus convictui insuescere, cum ea familiaritatem quandam inire, ut ad illam quotidie magis magisque disponamur ac præparemur.

*Colloquium.*

**O** Æternitas! cùm ego in te, aliquando sim permansurus, & in te veluti Domo habitaturus: an non optimo utar consilio, si tecum hîc quandam familiaritatem contraham? Ita sanè: quare me tecum deinceps occupabo; te mihi demereri



mereri ac promereri studebo ; ut cum tempus advenerit, ad te emigrandi, bonam te, beatamque inveniam. Agam tecum libenter deinceps, crebro de te cogitabo, de te loquar & tecum colloquar. *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed letitiam & gaudium.* Sap.c.8.16.

## 13. Februarii.

**I.** Proponamus eum in finem tertium symbolum æternitatis ; *maria* scilicet & *flumina* mundi. Animo concipe, à supremo Numine, ex cœlesti aula ablegari Angelum, ad Damnatorum rogam ; qui illos Dæmonis captivos, hisce verbis alloquatur :

II. Mandavit mihi Dominus, ut ex Rheno, Danubio, Pado, Rhodano, Sequana, cæterisque mundi fluviiis, singulis annorum centuriis, unicam auferam guttam, donec omnes, guttatim exhausti fuerint.

III. Quo peracto, pergam ad evacuanda maria ; incipiamque à mari Adriatico ; inde pergam ad germanicum,



126 *Domus aternitatis. Consideratio*  
inde ad Ægæum, inde ad Oceanum ori-  
entalem, occidentalem, meridionalem  
& septentrionalem, mediterraneum,  
Magellanicum, Æthiopicum, donec  
omnia guttatim exhausero.

*Admiratio.*

**Q**uot labentur sæcula, antequam  
vel unus evacuetur Rhenus? Quot  
sæculorum millia & millions, prius-  
quam exantletur vel unicus oceanus ger-  
manicus? Et quid hæc omnia ad longis-  
simam æternitatem? Vix roris stillula,  
vix aquæ guttula, vix maris arenula,  
atomus, punctum.

*14. Februarii.*

**I**D Enique subjungit Angelus, post  
exhausta, prædicto modo, stilla-  
rim omnia flumina & maria, ô Damna-  
ti! tunc cuncta vestra cessabunt tormen-  
ta, vósque carcere tartareo exempti, in  
libertatem cœlitum asseremini, eritisque  
æternùm beati! Quid ad hæc Damnati?  
Maximo sanè gaudio, & solatio incredi-  
bili perfunderentur tam læto nuntio:  
quia



quia tandem aliquando , licet post incomprehensibiles annorum myriades , certò demum adveniret miseriarum finis & salutis principium.

II. Confirmat hoc S. Antoninus 4. p. tit. 14. c. 5. dicens : *Damnati haberent pro maxima gratia, & summo beneficio, ut in illis pœnis essent tot annis, quot sunt grana arena maris, & gutta aquæ ejus. Illa etsi à nobis numerari non possint, præ multitudine; at à divina tamen sapientia numerantur, quæ omnia constituit, in pondere numero & mensura.*

III. Ah! Ita est, summo replerentur solatio Dammati, ab accepto tam beato nuntio: sed prò dolor! in æternum non obtinebunt. *Erubescant impii & deducantur in infernum. Psal. 13. 18. Ubi in æternum non videbunt lumen. Deleantur de Libro viventium, & cum justis non scribantur. Psal. 68. 29. Nec cum Sanctis beentur in æternum.*

\* \*  
\*

F s

Aff.



*Affectus spei.*

**D**omine Deus meus, in te speravi, sal-  
vum me fac ex omnibus persequen-  
tibus me & libera me. Psal. 7. 1. Usque in  
senectam & senium, Deus, ne derelinquas  
me. Psal. 70. 18. Nec sinas me unquam  
in tale dementiæ barathrum ac profun-  
dum delabi; ut pro exigua pestiferæ vo-  
luptatis gutta, integrum æternæ dulce-  
dinis & consolationis mare amittam: &  
pro honoris, bonive temporalis stilla,  
tormentorum infernalium oceanum  
promerear, totâ æternitate non exhau-  
riendum. Quanta enim hæc foret in-  
sania? Si prudentes putantur qui agunt,  
ne perdant paucos dies; quàm stulti sunt,  
qui sic vivunt, ut perdant ater-  
num diem? S. Augustin.



CON.



## CONSIDERATIO XVI.

## IV. Symbolum æternitatis.

Globus ingens ferreus.

*Usque in æternum. Psal. 27.9.**15. Februarii.*

I. **P**ER DOMINUM tenebrosam, pedetentim incedendum est, ac parietes palpandi, ne impingamus. Domus æternitatis caligine obsepta est, nunquam intellectui humano sat penetranda, ideoque per symbola & umbras, per arenulas & guttas, per characteres & numeros eam ruditer delineamus: quibus nunc grandem globum ferreum appingimus.

II. Creet itaque Divina omnipotentia globum ferreum, huic nostro terræ globo, magnitudine parem, dicatque damnato cuiquam, v. g. Diviti Epuloni, aut Judæ: Hunc globum, tu, in resumpto corpore, tamdiu obambulando & circumcurfitando pedibus tuis teres, donec totus attritus sit, ac penitus consumptus.

III. Nec existimes hoc impossibile: vidisti enim in vita tua, in cœmiteriorum



130 *Domus aternitatis. Consideratio*  
aditu, crates ferreas, crebro transitu, cultros crebro usu, equorum soleas frequenti cursu paulatim atteri; sic & globus iste paulatim attereretur. Verum eheu! quot annorum myriades labentur, quot milliones ævorum ac sæculorum, antequam ejusmodi globus, plane atteratur?

*Affectus horroris.*

**H**Orresco, Domine, & expavesco ad tantorum sæculorū multitudinem! O si hæc mihi cum Damnatis transigenda forent, quàm longa, quàm acerba acciderent? Ne id fiat; statuo sæpe æternitatem & felicem & miseram mente revolvere: statuo ejusdem memoriam refricare, & si non perpetuò, creberrimè saltem (quantum vires corporis & animi sinunt) de ea cogitare; & cum Davide annos æternos, omni momento, viciniùs mihi appropinquantes, totisque passibus accelerantes, in mente habere, ne peream. Dixi nunc cœpi. *Adjuva me Domine Deus, secundum misericordiam tuam.* Psal. 108. 26.



## 16. Februarii.

I. **C**onsidera ulterius, quot annorum millibus circumcursaturus esset Damnatuſ, antequam ex hoc globo, unius cultri crassitiem detereret? Quot requirerentur sæculorum milliones, antequam, circumquaque vel unius pedis aut ulnæ crassitiem ambulando abraderet?

II. Quot sæculorum præterlabentur myriades, antequam duarum, trium, aut quatuor decempedarum, quot antequam unius miliaris germanici, spatium; quot antequam centum aut mille miliarium, quot antequam globum totum atterendo consumeret?

III. Ah! stupeo & expavesco; ac simul video, quòd nec horæ, nec dies, nec hebdomades, nec menses, nec anni, nec lustra, nec olympiades, nec indictiones, nec jubilea, nec sæcula, nec anni platonici, nec tardissimi sphaeræ octavæ motus, quantumvis multiplicentur, ullatenus numerum æternitatis exhauriant. *Quia non erit finis.* Cesset igitur Geometrarum calculus; quiescat Arithmeticorum nu-



132 *Domus æternitatis. Consideratio*  
merus, omnis enim calculationis labor  
frustraneus est, cum æternitas omnem  
numerum infinitè superet.

*Colloquium.*

**E**T hæc adeò longa æternitas, anima  
mea, sive de ea cogites, sive non co-  
gites, venit tibi. Sive tractes spiritualia &  
Deo placita; sive mundana & mala, ac  
Diabolo grata, æternitas nihilominus  
venit tibi, actionibus tuis condigna.  
Quàm sapienses, si inter omnes labores  
& curas tuas, æternitas tibi assiduè vol-  
vatur in mente; quæ cursoris instar fe-  
stinè tibi appropinquat; ut ad æterna cœ-  
li bona famem ac desiderium in te exci-  
tet, ubi Dominus Deus, est corona spei,  
*qua est ornata gloriâ preparata vincenti-  
bus. Famelicorum æterna satietas, danda  
esurientibus, consolatio sempiterna, con-  
solationem hujus mundi, præ divina, con-  
temnentibus. S. Aug. Solil. c. 22.*

*17. Februarii.*

**I.** **S**Ed ascendamus altiùs. Conterat  
Deus, omnipotentiâ suâ, antedi-  
ctum vastissimum terræ globum, in pul-  
viscu-



visculos minutissimos, quales ex auro, argentove abradunt Auritrabri: deinde tot novos creet globos ferreos, magnitudine huic mundo æquales, quot numerantur minuti atomi seu pulvisculi. Post hæc Deus jubeat Damnatum pari, quo dictum est, modo, omnes & singulos hosce globos, ordine, ambulando & currendo atterere, nec cessare antequam omnes consumantur.

II. O quando tandem hujus cursitationis foret finis? Quando nam tandem tot innumerabiles tantæ molis globi penitus attererentur & contererentur? stupet animus, hæret lingua, obmutescit vox. Quia videri potest hæc, quasi longissima quædam æternitas. Sed tamen, certo certius, tandem, tandem, omnium istorum globorum, attritionis & consummationis daretur finis.

III. Et si Deus, damnatis nuntiaret, illos tunc fore liberandos orci incendiis, cæloque inferendos, ô quanta illorum foret lætitia! quanta consolatio! quanta exultatio! Sed frustra omnia: omnis quippe spes liberationis in perpetuum est



134 *Domus aternitatis. Consideratio*  
est præcisa. Beatitudinis præmio semel  
exciderunt, actum est, æternum perie-  
runt. Sententia Judicis est irrevocabilis,  
& in inferno nulla est redemptio, nulla,  
nulla.

*Admiratio.*

**O** Domine! justitia tua sicut montes  
Dei: *Judicia tua abyssus multa.* Psal.  
35. 7. *A, a, a Domine Deus, ecce nescio*  
*loqui, quia puer ego sum.* Jerem. c. 1. 6.  
Et tantam æternitatis durationem non  
capiro. Capiam tamen & experiar ali-  
quando, certò; vel in cœlesti gloria; vel  
in inferni pœna: sed in qua? Tu nosti,  
Domine Deus, parce mihi & miserere.  
O æternitas quando, & qualis advenies  
mihi? O qualem me invenies? qualem  
te inveniam? O quid curo, si beatam æ-  
ternitatem non curo? O quid in-  
curro, si æternitatem maledi-  
ctam incurro?



CON-



## CONSIDERATIO XVII.

## V. Symbolum æternitatis.

Pondus ignis.

*Pondera mihi pondus ignis. L. 4.**Esdrae c. 4. 5.*

18. Februarii.

I. **P**ondera mihi pondus ignis. l. c. Et pondus æternitatis sive felicitis, sive infelicitis. Quale autem est hoc pondus? Hoc nimirum: Et tu, mi homo, & omnis Christianus, apud se, super omnia, certissimum habere debet, quod à Conditore suo, ad æternitatem creatus & ordinatus sit: quæ cum sit duplex, una misera, altera beata; in harum alterutra, necessario, & inevitabiliter homini habitandum & demorandum est. Et hoc est pondus, mortalium humeris incumbens.

II. Pondera hoc pondus, in omnibus actionibus & negotiis tuis, ô homo! Interim quidquid tibi placet, in hac vita age, utere bene, abutere malè libertate tuâ, & hujus sæculi bonis: tandem tamen hæc omnia temporalia transibunt, succe-



136 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
succeedent autem aeterna & aeternitas, re-  
sponsura his, quae egisti in corpore &  
tempore, sive bona, sive mala; responsu-  
ra, inquam, vel ut praemia operum bo-  
norum, vel ut pravorum facinorum sup-  
plicia, aeternitate admetienda. Et hoc est  
pondus decreti Dei justissimi, quod Mun-  
di asseclas velut pondus ingens gravat,  
velut ignis urit & cruciat. Dei verò filios  
elevat, recreat & in bonum inclinat.

III. O mundi amator! pondera nunc  
mihi vel potius tibi, hoc pondus ignis.  
Dictae aeternitatis alterutra portio, tibi  
irrefragabiliter est obventura, cujus ne-  
cessariae obventioni, te necesse est omni-  
no, tuammet propriam voluntate, & volun-  
tatis spontaneam operatione praeparari at-  
que adaptari: haec autem adaptatio ac  
praeparatio, in hac tantum vita, & non in  
altera, abs te est peragenda. Post hanc  
verò vitam exactam, juxta praesentis vitae,  
adaptationisque qualitatem, aeternitas ti-  
bi, sive bona, sive mala, in praemium, vel  
supplicium indubitanter & immutabili-  
ter est obventura, teque sinu suo inelu-  
tabili complexura & conclusura.

*Petr*



## Petitio.

**O** Domine! quàm onus est leve, æternitas beata! quàm pondus est grave, æternitas damnata! desidero utramque mecum crebriùs ponderare: sed deest statera, deest intellectus, ad tantas abyssos penetrandas. *Quis intrabit sanctuarium tuum ad considerandas potentias tuas: nisi tu aperias? Quis autem aperiet si tu claueris? Domine Deus noster nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu induxeris, qui de nihilo cuncta creasti. S. Aug. Solil. c. 23.* Adjuva me, ut hoc pondus bene ponderem, mèque ita adaptem ac præparem; ut pondus grave ignis inextinguibilis excutiam, & æternum gloriæ pondus obtineam.

## 19. Februarii.

**I. D** E inde pondera mihi pondus ignis, & in una lance colloca ignem concupiscentiæ mundanæ & carnalis amoris, cum omnibus ejus objectis ac pabulis; in alterâ verò ignem cœlestis amoris, cum omnibus ejus objectis & escis: videbísque



138 *Domus eternitatis. Consideratio*  
bisque illa attolli ut plumulam, hæc vero  
subsistere & maximè præponderare. Pon-  
dera enim pondus ignis, id est flagrantis,  
in omnibus cœli incolis, charitatis. Pon-  
dera pondus ignis, amoris infiniti, quo  
Pater & Filius & Spiritus sanctus mutuò  
inter se ardent, & ardebunt in æternum.  
Pondera pondus ignis amoris mutui, in  
corde JESU, & MARIÆ, omnium-  
que Sanctorum dulcissimè flagrantis &  
flagraturi in perpetuum. O ignis, quàm  
fortiter ardes, quàm suaviter lucēs!

II. *Pondera* ulterius, *pondus ignis*, &  
suavissimi amoris in cœlo quo sancti Epi-  
scopi, Pastores & animarum zelatores,  
eorundemque oviculæ, per eos ad cau-  
lam cœlestem adductæ; quo Parentes &  
Fili; Fratres & Sorores, cognati & ami-  
ci, commembra ejusdem statûs, ordinis,  
civitatis, patriæ, familiæ, mutuò inter se  
inardescunt; sibi gratulantur, applau-  
dunt, exultant, jubillant; nec cessabunt  
in perpetuum! O leve! ô suave onus cœ-  
lestis amoris!

III. *Pondera* denique *pondus ignis* visio-  
nis & amoris beatifici & gloriæ cœlestis

Bea-



Beatorum, quod *aeternum gloriae pondus* nuncupat Apostolus. Sed & pondera alia bona aeterna, quae ex visione Dei scaturiunt: scilicet pondus laetitiae & exultationis; pondus gaudiorum, deliciarum, voluptatum, recreationum caelestis paradisi; pondus honoris, decoris, splendoris, majestatis, potestatis, & coronae radiantis in Electorum vertice. Sed pondera haec omnia, non staterâ dolosâ, & iniquâ; sed staterâ & pondere sanctuarium; atque ad oculum cernes, omnia mundi gaudia, delicias voluptates, honores, nihil esse nisi quisquillas, paleas & festucas.

*Suspiria amorosa.*

O Pondus ignis amoris & visionis beatificae! quando illuminabor à te? quando succendar à te? O pondus ignis amoris divini, quando recreabor à te? O pondus amoris, Angelici, Cherubici, Seraphici, Mariani, Theandrici, quando experiar te, in beata aeternitate? *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror.* O pondus! quod nullâ  
mente



140 *Domus eternitatis. Consideratio*  
mente concipi, nullis verbis à nobis ex-  
plicari potest. *Quidquid vis dicas de eter-*  
*nitate, quia quidquid dixeris, minus dicis,*  
S. Aug. in Plal. 60.

20. Februarii.

I. **D**Enique pondera mihi pondus ignis, &  
onus damnatæ æternitatis intole-  
rabile, atque ex altera parte plumulam  
rei terrenæ: & amentiam mortalium,  
propter hanc, illud humeris suis impo-  
nentium, obstupesces. *Pondera mihi igitur*  
*pondus ignis infernalis & flammaram*  
*crepitantium; pondus catenarum igni-*  
*tarum, stridentium atque stringentium;*  
*pondera venenum aspidum & fel draco-*  
*num; pondera picem, sulphur, vermem,*  
*& reliquum tormentorum pondus im-*  
*portabile.*

II. *Pondera mihi quoque pondus ignis,*  
*iræ, odii, furoris & vindictæ cacodæmo-*  
*num, in homines damnatos, tanquam*  
*carnificum in reos, aut velut Tyranno-*  
*rum in perduelles subditos; ac vicissim*  
*horum in suos tortores. Pondera etiam*  
*pondus ignis & flammaram iræ, odii,*  
*furo-*



furore ac vindictæ mutæ, inter damnatos; inter maritos & uxores; inter parentes & filios; inter Dominos & subditos; inter seductores & seductos; inter scandalizantes & scandalizatos, atque inter omnes quotquot sibi invicem damnationis extitêre authores.

III. Atque ubi hæc rite ponderaveris, obstupesce & deplora cæcitatem mortaliæ, pro auri, argenti que bractea, pro voluptatis carnalis aut evanidi honoris uncia, grande hoc tormentorum æternorum pondus humeris suis injicientium, nunquam excutiendum.

*Affectus horroris.*

**O** Pondus ignis infernalis omni ætâ gravius, omni pondere intolerabilius! Quis te considerans, non tremat & expavescat? Hoc est pondus ignis inextinguibilis, semper urentis, nunquam comburentis: hoc est pondus durissimum, miseros damnatos semper premeus, nunquam opprimens. Hoc pondus tibi quoque imminet, ô peccator! nisi resipiscas, & dignos pœnitentiæ fructus



142 *Domus eternitatis. Consideratio*  
*fructus facias. Si sapias. Miserere anima*  
*tua. Eccli. c. 30. 22.*

## CONSIDERATIO XVIII.

Alia symbola æternitatis.

*In eternum manet. Psal. 32. 11.*

21. *Februarii.*

**S**Egniùs irritant animos, demissa per  
aures: Quàm quæ sunt oculis sub-  
jecta fidelibus. Quare denuò penicillum  
arripiamus, & quemadmodum varia jam  
symbola adumbravimus, ita & alia hie-  
roglyphica adjiciamus. Sed quænam?  
Suggerit illa celebris S. Scripturæ inter-  
pres Cornelius à Lapide in Epist. ad  
Rom. c. 6. Atque interrogat:

I. Quid est æternitas? Est *circulus*, cu-  
jus centrum est semper, circumferentia  
nunquam: quia nunquam, nullòve tem-  
pore claudi potest aut terminari. Si epi-  
graphen addere cupias, adscribe. *Ma-  
gnus est & non habet finem. Baruch c. 3. 26.*

II. Quid est æternitas? Est *orbis*, ubi-  
que rotundus, sui que similis, qui nul-  
quam, incipit, nusquam desinit, prin-  
cipio



cipio & fine carens. Adde, si placet, lemma. *Absque ullo termino.* Isaïæ c. 5. 14.

III. Quid est æternitas? Est *annus jugiter revolutus*, qui instar solis, ubi occidit & moritur; ibi renascitur, rursūque oritur; ac semper ortus in occasu est, & occasus in ortu. Adscribe gnomē: *Oritur & occidit, & in locum suum revertitur.* Eccle. c. 1. 6.

IV. Quid est æternitas? Dicite id nobis ô Beati, qui eam jam ingressi estis. Dic S. Petre, S. Paule, S. Joannes: Eam inquirunt distinctè explicare non possumus: gaudemus lucere nobis *diem æternitatis.* 2. Petri 3. 18. quæ est *dies lætitiæ* Tob. c. 12. 10. Est *dies sabbati*: imò *magnus ille dies sabbati* & quietis perpetuæ, & *Nocte caret.* Quamdiu eam jam fructi estis? Ultra 1600. annos. Quantum in ea progressi estis? vixdum eam inchoavimus: sed mille sexcenti anni & ultra, nunquid de die æternitatis vestræ aliquid decerpserunt? non horam, non momentum, unum, ne hilum quidem. Tantundem est ac si eam nunc primū inchoarem; æquè nova, æquè jucunda, nobis  
G accidit,



144 *Domus eternitatis. Consideratio*  
accidit, & restat dies æterna & voluptas  
perpetua.

V Sed ô Sancti edicite nobis aliquid  
amplius, de felici ac beata æternitate ve-  
stra? Jam diximus, nec nos exponere, nec  
vos capere valetis: est enim *abyssus tem-*  
*porum*, *abyssus sæculorum*, *abyssus gaudio-*  
*rum*, *Quis dimensus est?* Eccli. c. 1. 2.  
Tempora nostra, sæcula nostra, gaudia  
nostra fundo carent, finem non habent;  
terminum eorum, quantumvis sapientif-  
simi & oculatissimi simus, pervidere non  
possumus. *Scimus quòd adificationem ex*  
*Deo habemus*, *Domum non manufactam*  
*æternam in celis.* 2. Corinth. c. 5. 1. In  
qua cum ipso lætabimur & regnabimus  
in sæcula sæculorum.

*Suspiria.*

O Æternitas beata! esto mihi *circulus*,  
in quo semper maneam. Esto mihi  
*orbis*, in quo beatè vivam; *annus*, quem  
nunquam finiam; *dies*, in quo semper  
gaudeam; *abyssus lætitiæ*, in qua ita ab-  
sorbeor, ut nunquam egrediar. O Do-  
mine, *educ de custodia animam meam.*

Psal.



Pfal: 141. 8. Ut beatam æternitatis tuæ  
Domum intrare valeam: nam *Hac requies  
mea in seculum seculi.* Psal. 131. 14.

## 22. Februarii.

I. **C**ONSIDEREMUS ulterius: quid est æ-  
ternitas? Est *fons*, in quo aquæ  
per mæandros ad suam scaturiginem  
semper refluunt, ut iterum fluant, fluxu  
atque refluxu continuo: vel aquas præ-  
bens dulcissimas beatitudinis cœlestis;  
vel amarissimas, falsissimâsque maledi-  
ctionis infernalis. Adde epigraphen:  
*Emanat dulcem & amaram aquam.* S. Ja-  
cob. epist. c. 3. 11.

II. Quid est æternitas? Est *mare* sine  
termino, *oceanus* sine litore, circulus spi-  
rarum, & spira semper gyrans & circu-  
lans in immensum, quæ semper volvitur  
& revolvitur, nunquam evolvitur. Ap-  
pone inscriptionem: *Quis ex vobis poterit  
transfretare?* Deut. c. 30. 13.

III. Quid est æternitas? Est *labyrin-  
thus*, innumeris gyris, amfractibus, & am-  
bagibus sese intorquens, ingressosque  
perpetuò circumducens: in quo aditus



146 *Domus aternitatis. Consideratio*  
absque exitu, & absque egressu ingressus.  
Si laberis intus, non labyrinthus erit, sed  
labor intus erit. Lemma sit: *Non exibis,*  
2. Reg. c. 18. 3. Hoc torquet damnatos,  
Beatos recreat.

IV. Quid est aternitas? Lubet rursus  
audire Beatos. Dic nobis S. Catharina,  
S. Lucia, S. Agnes, S. Thecla, quæ usque  
ad mortem pro castitate & fide certastis,  
quæ ignes, equuleos, rotas ac bestias su-  
perastis, qualis & quanta est vestra aterni-  
tatis? *Mensura* est, inquiunt, quam di-  
metiri & mensurare non valemus: est  
mensura, *qua sine mensura est.* Osee c. 1.  
10. Neque enim ulla mensura reperiri  
potest, quæ eam adæquet. Quia regni no-  
stri, felicitatis nostræ, gloriæ & lætitiæ  
nostræ, non erit finis.

V. Quid est aternitas? Dic S. Hiero-  
nyme, S. Macari, S. Antoni, S. Paule, S.  
Romualde, S. Elia & Elisæe, qui sexaginta  
ta, octoginta, aut centum annis, omnes  
sæculi voluptates abdicastis, vitam auste-  
ram duxistis. Circuistis in melotis, in  
pellibus caprinis, egentes, angustiati, af-  
flicti, quibus dignus non erat mundus;  
quid



quid pro tantis laboribus recepistis? At-  
tigimus *portum*: post ventos & tempe-  
states, post remigationes & procellas: in  
portum salutis ingressi sumus: *Iste locus*  
*quietis*. Isaiaë c. 66. 1. Labor brevis, quies  
æterna: navigatio periculosa, securitas  
perpetua.

*Suspiria.*

**O** Æternitas beata! sis mihi *fons a-*  
*quæ*, quæ in vitam æternam saliat! sis mihi *mare* beatitudinis, quod me ab-  
sorbeat ac demergat. Sis mihi *labyrinthus*  
in paradiso cœlestis voluptatis, qui nul-  
lum unquam mihi exitum præbeat. Sis  
mihi *mensura*, bona, coagitata super-  
effluens, sine mensura: & *portus* æternæ  
quietis. O damnata æternitas! væ, væ il-  
lis, quibus tu es fons amaritudinis, mare  
mortis, labyrinthus laboris, mensura im-  
mensa doloris, & portus æternæ infeli-  
citatibus!

23. Februarii.

I. **D**enique perpendamus: Quid est  
æternitas? Est *anguis* orbiculari-  
ter in se reflexus, caudam ore comple-

G 3

Æternitas



148 *Domus aternitatis. Consideratio*  
Etens, qui in sui fine semper rursus inci-  
pit, & incipere nunquam desinit, assiduo  
morsu & remorsu. Lemma adjice: *Non*  
*est finis.* Baruch c. 3. 25.

II. Quid est aternitas? Est *axis* stabilis  
& immobilis, circa quem volvitur mun-  
di, temporis & saeculorum omnium ro-  
ta, sempé. que stat in motu, nec unquam  
movetur in statu. Adscribe: *In aeternum*  
*non commovebitur.* Psal. 111. 6.

III. Quid est aternitas? Est *rota*, quæ  
semper volvitur, & volvetur in omne vo-  
lubilis ævum: eritque semper in motu, in  
quiete nunquam. Inscribe: *Circuit per*  
*gyrum.* Judith c. 7. 6.

IV. Quid est aternitas? Dic ô S. Ste-  
phane, S. Laurenti, S. Vincenti, S. Seba-  
stiane, qui continuum & longum marty-  
rium fortiter & generosè tolerastis; quæ  
est corona aternitatis vestræ: Habuimus  
*momentum crucians* quod jam dudum  
transiit & evanuit: nunc autem habemus  
*aeternum delectans*: quod non transibit.  
Levit. c. 26. 6. Sed semper erit hodie, sem-  
per nobis præsens, semper oblectans.

V. Quid est aternitas? Dic nobis divus  
Epulo,



Epulo, dic Juda, dic Pharao? Habuimus nos in vita *momentum delectans*, sed nunc habemus *aternum crucians*. Imò sicut beatis, præ gaudio, tota æternitas non videtur esse nisi momentum; ita quoque nobis in inferno, æternitas tota, *momentum* est; sed eheu! magni momenti & ponderis: momentum. *Super omne pondus & mensuram.* 1. Paralip. c. 23. 29. momentum longum & grave. Cogita sæcula sæculorum, cogita progenies & generationes omnes; cogita tempora omnia, præterita præsentia & futura, nec non possibilia; necdum tamen æquabunt hoc momentum nostræ æternitatis: per omnia enim hæc tempora, urimur, cruciamur, torquemur, in inferno, & quidem sine mensura, sine pausa, sine termino, nullo non momento.

*Suspiria.*

**O** Rex sæculorum immortalis! adjuva me, ut cum sanctis Martyribus momentum vitæ, omnesque cruces momentaneas, ita fortiter feram, ut gaudia æterna obtineam. Custodi me, ut pupil-



150 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
lam oculi tui, ne unquam *anguis* aeterni-  
tatis miseræ me involvat, & ne *Draco* iste  
antiquus, me mordeat, aut devoret: Tue-  
re me, ne *axis* aeternitatis damnatæ figat  
atque configat me. Ne *rota* aeternitatis in-  
felicis me in perpetuum circumagat; ne,  
in *momento* illo infinito, vox tonitruï tui  
in rota sine cessatione me feriat: *Etenim*  
*sagitta tua* (pœnarum temporalium)  
*transcunt vox tonitruï tui in rota* (aeter-  
nitatis) transit nunquam, Psal. 76. 18.  
Sed sine fine, tonat, fulminat, ferit, læsæ  
Majestatis divinæ reos in gehenna.

### ICONSIDERATIO XIX.

Annus, dies, hora aeternitatis.

*Mille anni, ante oculos tuos, tanquam dies*  
*hesterna, quæ perit.* Psal. 89. 4.

24. *Februarii.*

I. **C**onsidera, quomodo tota vita no-  
stra sit quasi *annus unus*, sicut &  
tota aeternitas velut *annus unus*. Vita no-  
stra in primis, licet octogenaria, tam ta-  
men brevis est; ut meritò *annus unus*  
esse censeatur; cujus pueritia ver est, ju-  
ventus



ventus æstas , ætas virilis autumnus ,  
hyems, cana senectus. Atque ut omnis la-  
bor, & quies, mœror & gaudium , tem-  
pus merendi & demerendi illius, cum an-  
no elapso transiit ; ita hæc omnia cum  
elapso vitæ anno transibunt.

II. Post hunc verò brevem vitæ an-  
num , sequitur annus longissimus æter-  
nitatis. Sed quæris, quomodo annus est  
æternus , si annus? aut quomodo est an-  
nus, si æternus? Omnis enim annus in-  
volvit revolutionem, à puncto ad pun-  
ctum , in motu cœlorum & solis; quâ  
peractâ, alteram inchoat sol & hæc est al-  
ter annus novus, & non æternus; sed ha-  
biturus tertium successorem; quod æter-  
no minimè convenit: an igitur harum re-  
volutionum solarium successio, erit æ-  
terna? at hoc fini mundi repugnat , in  
quo cursus cœlorum & solis cessabunt.  
Quid ergo est annus æternus? non aliud  
nisi ipsa æternitas infinita, ita absorptura  
omnes annos, ut vix sui initium sit auspi-  
catura.

III. Hunc annum æternum si rite per-  
penderis, quàm brevis sit vitæ tuæ annus,



152 *Domus aternitatis. Consideratio*  
nullo negotio perspexeris. Et si cum Pa-  
triarcha Jacob interrogaveris? *Quot sunt*  
*dies annorum vitæ tuæ? & quamvis cum*  
*eo respondere posses, si tam diu vixisses :*  
*Dies peregrinationis meæ centum triginta*  
*annorum sunt, parvi [ in hebræo est pau-*  
*ci ] & mali. Gen. c. 47. 8. In veritate ta-*  
*men diceres, pauci admodum sunt & ma-*  
*li, ac ærumnosi ; imò quasi annus unus,*  
*qui præterit. Disce hinc, quàm brevis sit,*  
*omnis hujus vitæ longævitas ; in vitam*  
*enim omnes, eâ lege nascimur ; ut parùm*  
*in ea commorati , protinus exeamus.*  
*Quid igitur aliud est vita nostra nisi cursus*  
*ad mortem? ait S. Augustinus, & S. Na-*  
*zianzenus canit:*

*Ipsum quod vivo, est veluti rapidissi-*  
*mus amnis,*

*Qui sursum exoriens, semper ad*  
*ima fluit.*

*Affectus doloris.*

**A**gnosco anni vitæ meæ, licet septua-  
genariâ major sit, brevitatem : &  
maximè doleo, me ita segniter ac tepidè  
eam impendisse, ac si pluribus sæculis,  
cum



cum Mathusalem fuiffem victurus: agnosco anni æternitatis longiffimam durationem; & doleo, pudoréque suffundor, me pro ea tam parùm laboraffe, ac fi effet paucorum duntaxat dierum, cùm tamen ejus comparatione, vita hominis vel longiffima, non fit nifi gutta ad mare, quæ in hoc injecta illico absorbetur, & nunquam ampliùs comparet: ergo dum annus vitæ tuæ currit, dum tempus habes, operare bonum; eritque tibi, post brevem vitæ tuæ annum, felix annus æternitatis.

## 25. Februarii.

I. **P**ROgrediamur confiderando ulterius. *Tota vita dies unus*: Infiuat id Job c. 1. 1. dum ait: *Sicut dies mercenarii, dies ejus*, qui à mane ad vefperum laborat. Confirmat, hoc Apoftolus, monens Hebræos c. 3. 13. *Adhortamini vos per fingulos dies: donec hodie cognominatur*. Tota igitur vita eft, quali unum *hodie*, unus dies, cujus crepufculum & aurora, eft pueritia, juvenus mane, ætas virilis, meridies; vefper fenectus. **Consentit**



154 *Domus aternitatis. Consideratio*  
S. Hieronymus & S. Basilius in Reg. brev.  
dum ait: *Dies est atas vite cujusque homi-*  
*nis, hora prima est infantia, tertia est pu-*  
*bertas, sexta atas virilis, nona senectus,*  
*undecima decrepita.*

II. Quid itaque homo est, nisi flos he-  
merocallis, id est unius diei mane nascens,  
meridie florens, vespere decidens &  
arescens. *Qui quasi flos egreditur,* ait Job  
c. 14. 2. & *conteritur.* Et David Psal. 89.  
6. *Manè sicut herba transeat,* in hebræo  
est, *transibit: Manè floreat,* id est *florebit,*  
*vespere decidat, induret & arescat.* Dum  
incipit vivere, mori incipit; nascitur e-  
greditur, floret, in carne nitet; sed mox  
decidit & arescit. *A tumulo, tumulum pe-*  
*to* ait S. Naziansenus, scilicet ab utero  
Matris, ad sepulchrum tendo. Quin &  
Sapiens Seneca ait Epist. 59. *Quotidie de-*  
*mitur aliqua pars vite: & tum quoque cum*  
*grescimus, vita decrescit: hunc quem agi-*  
*mus diem, cum morte dividimus: mox ut*  
*in vitam ingredimur, statim aliâ portâ exi-*  
*re incipimus.* Jure igitur illud Davidis  
ad Ethai dicere cuivis possumus, *Heri*  
*venisti, & hodie compelleris nobiscum*  
*egredi.*



egredi. 2. Reg. c. 15. O quàm brevis est  
vita nostra? *Verè tota vita, dies unus.* Itē  
ergo mortales; opes, honores, prædia ac-  
cumulate, hodie aut cras morituri.

III. Veluti citò transit dies naturalis,  
unde paræmia, *una dies, nulla dies*: ita pa-  
riter properè avolat dies vitæ & ætatis.  
Dies verò æternitatis, nunquam præterit;  
sed semper in eodem statu persistit; &  
millenis annis responderet; totidem au-  
tem anni, coram Deo sunt, instar diei  
unus, teste S. Petro 1. Ep. c. 3. 8. *Unus  
dies apud Dominum, sicut mille anni, &  
mille anni, sicut dies unus.* Tota igitur æ-  
ternitas licet sit longissima, imò infini-  
ta; coram Deo tamen & Sanctis ejus, præ  
ineffabili lætitia, videtur esse quasi dies  
unus, aut potius velut momentum, aut  
punctum temporis. *Quoniam mille an-  
ni, ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ,  
quæ præterit.* Plal. 89. 4.

*Aspiratio.*

**O** Fausta! ô læta! ô jucunda dies, feli-  
cis æternitatis! quando videbo te?  
**O** dies nesciens ortum, ignorans occa-  
sum!



156 *Domus eternitatis. Consideratio*  
sum! ô dies carens crepusculo, tempore  
carens meridiano & vespertino! quàm  
beatus ero, ubi te videro? O anima mea!  
*Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc*  
*dies salutis. 2. Corinth. c. 6. 2.* Quare  
non te frangant labores, non tribulatio-  
nes dejiciant; modicum est, & breve,  
omne quod transit cum tempore. *Scribe,*  
*lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter*  
*contraria: digna est his omnibus, & majo-*  
*ribus praliis, aeterna vita.* Thom. Kemp.  
L. 3. c. 47. Quò in die vitæ tuæ, eris in ob-  
sequio Dei sollicitior ac ferventior, eò  
eris felicitior atque beatior, *nunc & in*  
*diem eternitatis. Amen. 2. Petri c. 3. 18.*

26. Februarii.

I. **P**Erpendendum denique, quòd æter-  
nitatis intuitu: tota vita nostra, sit  
quasi *una hora*. Tanta est ejus brevitatis: ne-  
que id mirère, si enim totum illud tem-  
pus à Christo nato, usque ad finem mun-  
di, S. Joanni unica hora est: *Filioli, no-*  
*vissima hora est. 1. Epist. c. 2. 18.* Quidni  
vitam nostram longè breviorē, horam  
unam esse dixerimus? Cujus quadrans  
primus



primus pueritiam, secundus juventutem, tertius ætatem virilem, ultimus senectutem adumbret?

II. S. Augustino, tempus illud totum ab Adamo, usque ad vitæ suæ dies, *hora matutina est*; dum ait: Si toto illo tempore viveres, quo Adam è Paradiso emissus est, usque ad hodiernum diem, certè videres vitam tuam non esse diuturnam, quæ sic avolasset: Unius autem cuiusque vita hominis quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam, quid ergo? *Nonne hora matutina est?* In Psal. 30. *O quanta igitur vitæ humanæ brevitatis! tota vita, hora una.*

III. S. Hilario & S. Gregorio M. universus mundi cursus una dies est; & horæ diversæ, mundi ætates; ut prima hora, sit prima mundi ætas, ab Adam ad Noe. Hora tertia à Noe usque ad Abraham. Hora sexta ab Abraham usque ad Moysen. Nona à Moysen ad Christum. Undecima à Christo ad finem mundi. Si una ætas mundi, plurium sæculorum, una hora est: quid erit vita & ætas hominis? *Tota vita, hora una, imò horâ brevior.*  
Defe-



158 *Domus eternitatis. Consideratio*  
*Defecerunt sicut fumus dies mei, queritur*  
David. Psal. 101. Et quid fumo brevius,  
& evanidum magis? Idem ait: *Anni no-*  
*stri sicut aranea meditabuntur.* Psal. 89. 9.  
Dum multa opera inutilia & vana agi-  
mus; quæ velut aranæ tela, pede, manu,  
vel scopâ citò disjiciuntur. Hebræa ver-  
sio habet, anni nostri consumuntur, sicut  
cogitatio, quæ citissimè transcurrit. O  
brevis mora! *tota vita, una hora!*

*Colloquium.*

**A**pprehende hoc bene, anima mea:  
vita tua celerrimè avolat, cujus, pri-  
mus, secundus & tertius quadrans, jam  
fortè effluxit, & unicus solùm, atque ul-  
timus restat. Vide per amorem Dei, quæ  
hunc impendas. Inclama tibi sæpius cum  
Doctore mellifluo: *Itane ageres, si scires*  
*hanc esse novissimam vitæ tuæ horam?* Itane  
ageres, si scires te post horam futurum  
in æternitate? Ah! *Hora est jam nos de*  
*somno surgere.* Rom. c. 13. 11. Fac ea quæ  
moriens facta fuisse voles, & non alia,  
nec aliter. Fac ea modò in hora vitæ tuæ,  
quæ in hora mortis, in hora judicii, in  
hora



hora æternitatis, à te facta fuisse cupies. Sic tibi & vitæ, & mortis & æternitatis hora erit beatissima.

## CONSIDERATIO XX.

Differentia temporis & æternitatis.

*Tempus breve est.* 1. Corinth. c. 7. 29. *Æternitas, longiturnitas vitæ.* Baruch. c. 3. 14.

27. Februarii.

I. **Q**uemadmodum in cognitionem simplicium, ut docet D. Thomas, venimus per composita: dicimus enim simplex est, expers compositionis: ita quoque nos in cognitionem æternitatis oportet venire, per tempus; illud conferendo cum æternitate, breve cum longo, successivum cum permanente; finitum cum infinito, ut differentia utriusque melius cognoscatur. Primò igitur temporis brevitatis proponitur à S. Jacobo Apostolo dum ait: *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens & deinceps exterminabitur. Vapor est, quot modis is diffilari potest; una gutta è capite decidens, unus catar-*



160 *Domus eternitatis. Consideratio*  
catarrhus apoplecticus, unus animalculi  
venenati morsus, unus auræ pestiferæ af-  
flatus, fati est. Vapor, solis virtute ele-  
vatus, jucundum quandoque dat specta-  
culum: sed quamdiu durat? *Ad modicum.*  
Subitò enim cadit, & in nihilum resolvi-  
tur. Sic homo & vita hominis hodie ab  
omnibus conspicitur, cras exterminatur.  
*Elevati sunt ad modicum, & non subsistent.*  
Job. c. 24. 35.

II. Deinde temporis brevitás; patet ex  
Apostolo 1. Corinth. c. 7. 29. *Tempus bre-  
ve est.* Quàm verò breve sit, docuit Vates  
Regius, dum dixit: *Homo vanitati simi-  
lis factus est: dies ejus sicut umbra præ-  
tereunt.* Psal. 143. De eadem temporis  
brevitate Job ait: *Qui quasi flos egreditur  
& conteritur & fugit velut umbra.* c. 14. 2.  
Veluti umbra in momento fugit & eva-  
nescit; ita homo, & vita ac tempus ejus:  
quid brevius? Æternitas verò longa est,  
infinitos enim sæculorū milliones com-  
plectitur, & fine caret. *Æternitas, longi-  
turnitas vite.* l. c.

III. *Tempus breve est.* l. c. visitat enim  
nos tantum labendo & transeundo, &  
sub-



subsecivis particulis, stillulisque effluendo; absque eo, quod vel momento sistat: sed instar fluminis nunquam non labentis, instar nuntii citissime currentis properet. Æternitas verò est longa, quia est infinita nullis annorum, ævorumque curriculis emetienda. *Æternitati comparata brevis est omnium temporum longitudo: in conspectu enim tuo, mille anni, quasi dies una, reputantur.* S. Hieron., ep. 139.

*Colloquium.*

**Q**Uare, anima mea, frequenter cogita, quàm breve sit vitæ tuæ tempus, & quàm longa sit æternitas: hæc enim cogitatio ad curam temporis pretiosæ, & fervorem te incitabit. Sæpe te interroga: *Nunquid paucitas dierum meorum finiretur brevi?* Job. c. 10. 20. & responde, ita, ita, brevi finis erit; jam navicula tua plenis velis ad portum progreditur. *Vita enim nostra, est naviganti similis; is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit; quia impulsu navis ducitur; ita ergo & nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormien-*



162 *Domus aternitatis. Consideratio  
mientes; sive tacentes, sive loquentes; sive  
ambulantes; sive volentes, sive nolentes;  
per momenta temporum, quotidie ad finem  
tendimus. S. Gregor. L. 6. epist. 26. & ce-  
leriter portum subimus.*

*28. Februarii.*

**I.** *Tempus est successivum & semper  
fluens: Fluit tempus & avidissimos  
sui deserit: nec quod futurum est, meum est;  
nec quod fuit; in puncto fugientis temporis  
pendeo. Seneca L. 7. nat. qq. c. 32. Fluit  
ergo perpetuò, & punctum temporis,  
puncto succedit: annus annum, mensis  
mensē, dies diem pellit; & hora, horam  
extrudit: Dies diei eructat verbum, quòd  
cedere & sibi locum dare debeat, & nox  
nocti indicat scientiam. Psal. 18. 2. Decla-  
rātque perpetuam illam ac constantem  
dierum ac noctium sibi succedentium al-  
ternationem, à Deo orbis moderatore  
provenire. Æternitas verò est permanens  
& immobilis, stat inconcussa, instar co-  
lumnæ Herculis; instar turris aut phari  
immobilis, in medio maris; ad quam,  
undæ allisæ præterfluunt.*

**II.**



II. Tempus est *successivum*, quia partes habet separatas, simul stare non valentes; sed sese successivè pellentes; aliæ enim sunt præteritæ, aliæ futuræ, & nihil præsens est in tempore, nisi unicum momentum indivisibile, quod mox transit & evanescit. Aeternitas Dei est *permanens*; nam in ea omnia sunt simul, & semper in eodem statu consistunt: caret partibus, nihil habet præteriti, nihil futuri, omnia illi sunt præsentia; ipsaque est tota simul & indivisibilis.

III. Tempus est *successivum*, ideóque vocatur *nunc volans*: quia instar navis, avis, sagittæ, imò instar fulminis celerimè avolat: atque ubi avolavit, est irrevocabile; sisti, teneri, aut recipi nequit; unde adagium: *Fronte capillata, post est occasio calva*. Et S. Augustinus serm. 6. ex 40. tempora nostra, *hujus sæculi volaticos transitus* nuncupat. S. Petrus Damiani opusc. 13. c. 17. ea vocat *volubilis sphaera necessitatem, quiescere nescientem*, siderum transitum & elabentis temporis excursum: qui nihil est aliud nisi cursus ad mortem; in quo nemo stare, nemo tardius



164 *Domus eternitatis. Consideratio*  
diùs ire permittitur; sed omnes pari mo-  
tu urgentur atque impelluntur. Æterni-  
tas verò est quasi *nunc stans*; ac perma-  
nens: stat enim velut rupes, aut marpesia  
cautes. Mente concipe horologium  
quoddam urbicum, in quo index stet im-  
motus, horarum notæ circumagantur.  
sic æternitas stat, sibi que constat; dum  
horæ nostræ, ac tempora, cunctaque illis  
contenta circumaguntur, accedunt, rece-  
dunt; veniunt, abeunt ac disparent.

*Colloquium.*

**C**ONSIDERA crebrò, anima mea, hoc  
*successivum*, & hoc *permanens*; hoc  
*nunc volans*, & *nunc stans* ac perpetuò  
permanens: & videbis sole clariùs, quàm  
parvi ducenda sint omnia terrena, quæ  
transeunt, quàm verò magni æterna, quæ  
immobilia perstant. *Quid enim potest*  
*grande esse, quod finem habet?* S. Hieron.  
in Psal. 89. Quia hoc ipso quòd finem ha-  
bet, quod transiit, ac desinit; perinde se  
habet, ac si nunquam fuisset: frueri,  
quacunque voluptate, honore, gloriâ; &  
post priveris; quid ex iis restat, nisi tristis  
memo-



memoria amissorum , quæ ed est acer-  
bior, quò bona illa extitère dulciora:quò  
enim suavior possessio , ed amarior est a-  
missio. Et vel ex hoc capite, disce ea con-  
temnere.

29. Februarii in anno bissextili.

I. **T**Empus denique finitum est, & in eo  
omnia finiuntur ac terminantur :  
unde dicitur. *Generatio advenit, generatio  
præterit, nihil permanens sub sole, suis  
spatiis transeunt universa. Eccles. c. 3. 1.*  
*Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus  
quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & ce-  
cidit flos, quia spiritus Dei sufflavit in eo.*  
*Isaia c. 40. 6.* Sicut enim fœnum in terra,  
vel folium in arbore nascitur, crescit, vi-  
rescit, exsiccatur & dejicitur : ita carnis  
nostræ natura, nascitur, ex progenie pa-  
rentum, crescit in infantia atque pueri-  
tia, florescit in adolescentia, maturescit in  
juventute, arefcit in senectute, & dejici-  
tur in morte. Atque ita cum tempore,  
finiuntur omnia, arefcunt omnia, deci-  
dunt omnia. *Æternitas verò omnia in  
suo statu illæsa conservat.*

II.



II. *Tempus finitum*, omnia finiens, omnia destruens. Audi Siracidem: *Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi, alia generantur, & alia dejiciuntur. Sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur, omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, ibit cum illo.* Eccli. c. 14. 18. Et quidem celeriter. *Iniquorum potentia*, ait S. Gregorius: *fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria, dum nitet cadit, dum apud se extollitur, repentino interrupta sine terminatur.* L. 16. Mor. c. 5. *Æternitas verò, finem nescit, terminis non clauditur, sed in sæcula sæculorum, sine fine protenditur.*

III. *Tempus finitum*, tempus edax rerum, omnia devorat & absument, scilicet, Imperia, Regna, Provincias, Magistratus, Urbes, arces, mœnia, palatia, templa, Reges, Principes, Præsules, Comites, Nobiles & ignobiles. Et ô quàm citò, ista absumentur omnia? Pergit S. Gregorius l. c. & omnia mundana stipulæ, fumo, nebulæ comparat. *Sic, ait, aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concio*



adima revocatur. Sic ad nubila fumus  
attollitur, sed repente in nihilum tumescen-  
do dissipatur. Sic ab infimis nebula ascen-  
dendo se erigit, sed exortus hanc solis ra-  
dius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in her-  
barum superficie nocturni roris humor  
aspergitur, sed diurni luminis subito calo-  
re siccatur. Sic spumosa aquarum bullæ, in-  
choantibus pluviis excitatæ, ab intumis-  
ceratim prodeunt, sed eò celerius diruptæ  
deperunt, quò inflatæ citius extenduntur;  
cùmque excrescunt, ut appareant, crescen-  
do peragunt, ne subsistant. Sic omnis pom-  
pa & mundi gaudia absumentur. Æterna  
verò in primævo statu, absque corru-  
ptione conservantur. Deus, Angeli, San-  
cti, cœli & cœlestia omnia. *Regnum tuum  
regnum omnium seculorum.* Psal. 144. 13.

### Suspiria.

**O** Quàm breve est tempus & omne  
quod transit cum tempore! O quàm  
longum est, quod æternum est, & durat  
cum æternitate! O tempus! quod non  
es aliud, nisi successiva duratio rerum  
caducarum, finem exigentium, utinam

H

sanctè



168 *Domus eternitatis. Consideratio*  
sanctè te semper impenderem, & fluxa  
omnia aspernarer! O æternitas! quæ es  
duratio constans & invariabilis rerum  
nunquam finiendarum, utinam sic tran-  
sirem per illa caduca brevi dimittenda,  
ut non amitterem ista stabilia, nunquam  
terminanda! sed quomodo fiet istud?  
Cogita, rumina, considera crebrò, hinc  
æterna, inde momentanea: *Qui enim Dei*  
*æternitate perspectâ, breve, & penè ad pun-*  
*cti instar, humane vite spatium cogitave-*  
*rit; ante oculos suos semper habebit interi-*  
*rum, & erit humilis atque dejectus, omni-*  
*umque rerum contemptor.* S. Hieron. in  
epist. ad Ephes.

## CONSIDERATIO XXI.

Natura æternitatis.

*Ab eterno usque in eternum. I. Para-*  
*lip. c. 16, 36.*

*I. Martii.*

**E**Xplicavimus hætenus æternita-  
tem, per symbola, similia, hiero-  
glyphica, per annos, dies & tempora. Ve-  
rùm quis tandem ipsam æternitatis na-  
turam



turam ac substantiam nobis definiet, aut explicabit? O quid es incomprehensibilis æternitas? Abyssus es sine fundo, ego te non intelligo, non capio; longè minus comprehendo: nam esse semper & nunquam finiri, incomprehensibile est: quod enim finem non habet, quis hominum comprehendat? siquidem omnis comprehensio, quidam complexus est; omnis autem complexus, est quædam definitio, quod autem finem non habet, quâ definiti poterit? *Infiniti enim nulla pars ipsum metitur.* Ut docet Aristoteles L. 6. Phys. c. 1.

II. Definire tamen æternitatem conati sunt Sapientes; ut in his Boëtius L. 5. de Consol. Phil. prosa. 6. ubi ait: De æternitate Dei: *Æternitas est interminabilis vita, tota simul & perfecta possessio.* Est possessio vitæ, quæ non in spe, sed re ipsâ possidetur. *Vita*, quia vita est perfectissimum esse, adeoque meritò in ea ponitur æternitas, quæ est perfectissima duratio. *Interminabilis*, soli Deo in præteritum & futurum convenit, Angelis verò & hominibus tantùm in futurum. *Tota simul:*

H 2

quia



170 *Domus eternitatis. Consideratio*  
quia non habet in Deo partem post partem : sed omnia colligit in momentum. *Perfecta* possessio, quia est integra, plena, inamissibilis, interminabilis, quoad essentiam & omnia contenta.

III. Possessio omnino *perfecta*, & quidem in Deo est perfectissima ; in Beatis, suo modo, *perfecta* : quod, ut clarius perspicias , confer omnia hujus vitæ bona, cum bonis vitæ futuræ, & videbis non in his, sed in illis nihil perfectum reperiri : multa enim semper desunt : Habes in hoc vitæ tuæ decursu opes, deest honor : habes honorem, deest sanitas ; habes sanitatem, deest scientia ; habes scientiam, deest facundia & gratia. Assides opiparo convivio , sumpto cibo, mox deest appetitus, deest voluptas, cibo gravaris, deest vigor & alacritas animi, deest quies mentis & nocturna &c. Atque ita hîc nihil reperitur perfectum, *nihil est ex omni parte beatum*. Secus se res habet in æternitate, Dei & Beatorum ; quia & in Deo perfectissima sunt omnia & Beati omnibus simul bonis fruuntur : Possident enim proprio captu opes Dei, scientiam Dei, delicias



cias Dei, robur Dei, paradifum Angelorum & Sanctorum omnium, & hoc in æternum. *Latitia fempiterna fuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt.* An non hæc perfecta poffeffio ?

*Pactum.*

**O** Æternitas divina ! vita perfectiffima, vita jucundiffima, vita infinita, vita tota fimul ! O æternitas beata ! vita interminabilis, vita perfecta, vita jucunda, vita summè optanda ? Tu à nobis comprehendendi non potes ; æftimari tamen potes, acquiri potes, poffideri potes ; comprehendere tu me, cum ego te nequeam comprehendere. Eo fine, animo pleno, prudente, fciente, volente, refolvo me, ad tuum ingreffum & inhabitationem ; & veluti pactum tecum indiffolubile in eo, quod, dum vivo, tui fempervelim curam gerere, ac recordari, & poft hanc vitam, in complexum, finumque tuum lætus demigrare.



2. *Martii.*

I. **Æ**ternitas beata Angelorum & hominum, S. Augustino est *Status, ubi est amor perfectus, & timor nullus, ubi dies eternus, & unus omnium spiritus.* O quàm felix erit ille status! ardens amore, catens timore; fulgens luce, gaudens pace, & spiritûs, cordiûmque unitate, semper durante! Perfecta enim in illa cœlesti patria charitas, foras mittit timorem: Deum amant ac possident; ideoque neminem timent. *Deus charitas est: qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in illo.* 1. Joan. c. 4. Hinc nihil est, quod metuat.

II. In illo felici statu, dies est perpetua, nulla nox, nulla caligo, defectus nullus, sed *omnia bona, in uno bono*, ut ait S. Ambrosius L. 3. Ep. 11. Est enim, ut Theologi definiunt: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ubi saturitas sine fame & siti; ubi fames & sitis sine fatietate; ubi plenæ divitiæ, plenæ deliciae, pleni honores, plena omnium rerum scientiâ, & plenum, ex his omnibus



bus gaudium, cum perseverantia in æternum

III. In hoc statu denique *unus omnium spiritus*: Id est unum velle, unum nolle, unus sensus, unus spiritus; ubi salus, ubi vita, ubi pax est infinita, ubi Deus omnia. *Ego ero illorum Deus & ipsi mihi erunt populus.* 2. Corinth. c. 16. 16. *Ego ero omnia in omnibus: Ego ero, quæcumque ab hominibus honestè desiderantur; & vita & salus, & virtus, & copia & gloria, & honor & pax, & omnia bona. Et sic rectè intelligitur: Erit Deus omnia in omnibus, & desideriorum omnium finis.* S. Aug. L. 22. de civ. c. 30.

#### *Affectus desiderii.*

**O** Status felix! status lætus, status perfectus, securus atque beatus! pudeat me, quòd tam frigidè hæctenus desideraverim te; statuo nunc indies magis ac magis anhelare ad te. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. c. 7. 24. *Cupio dissolvi, ut veniam ad te, ô beata æternitas! & gaudeam in te: Ubi tristitia nulla, sed lætitia sempiterna.*



174 *Domus aternitatis. Consideratio*  
*na; ubi desiderium omne transit in gaudi-*  
*um; dum præsto est, quidquid optatur; &*  
*quidquid desideratur abundat. S. Aug.*

3. *Martii.*

I. **Æ**ternitas S. Dionysio Arcopagi-  
tæ L. de div. nom. c. 10. *Est æ-*  
*vum ævorum, quod nunquam interit; sed*  
*semper eodem modo se habet. O ævum*  
*ævorum beatum! O ævum ævo-*  
*rum damnatum! quàm longè distatis ab*  
*invicem? Et neutrum unquam interit, sed*  
*semper eodem modo se habet: numera tot*  
*myriades annorum quot sunt in firma-*  
*mento sidera, in campis gramina, in*  
*granariis grana; & neutrum unquam in-*  
*terit, sed semper eodem modo se habet, per*  
*omne ævum ævorum, & per omnia sæ-*  
*cula sæculorum.*

II. Considera, quàm sit lætum *ævum*  
*ævorum* in cœlo; inter amabilissimos  
Angelorum choros: inter Beatarum  
mentium speciosa agmina; in Dei, sum-  
mi boni, præsentia: in illa mansione su-  
perna, ubi sanitas & sanctitas, gaudium  
& jucunditas, societas & satietas, tran-  
quil-



quillitas & securitas, beatitudo & felicitas, nunquam interit, sed semper eodem modo se habet: semper in eodem statu permanet, & in æternum perseverat.

III. Ex adverso; ô quàm triste *ævum ævorum* in orco! Ubi calamitas & miseria, anxietas & tristitia, fames & penuria, damnatus & tormenta, tortor, tortus & tortura, nunquam interit, sed in eodem statu semper persistit. Ubi damnatus semper vivit & nunquam moritur; semper sitit, & nunquam potatur; semper famet, & nunquam satiatur; semper caligat, & nunquam illuminatur, semper roditur, & nunquam corroditur; semper uritur, nunquam comburitur, nunquam in cineres redigitur, nunquam ab incendio liberatur.

### *Affectus zeli.*

**O** *Ævum ævorum*, ævum æternum: ævum diuturnum! quiste non stupeat? O *ævum ævorum* in cœlis, cujus cor licet ferreum, tu magnetis instar non attrahas? O *ævum ævorum* in orco; cujus pectus, licet adamantinum, tu non mo-

H s

veas,



176 *Domus æternitatis. Consideratio*  
veas, non flectas, non percellas, nisi ve-  
ratione, vel fide careat? Et tamen eheu  
Quot ejusmodi in mundo reperiuntur  
milliones? O Domine! miserere; Qui  
*non est volentis, neque currentis; sed mise-*  
*rentis Dei. Rom. c. 9. 16. Et nemo potest*  
*venire ad me, nisi Pater meus traxerit*  
*eum, ait Filius tuus. Joan. c. 6. 44. Ab-*  
trahe me, trahe innumeros ad te, ut con-  
vertantur & vivant; ut cognoscant te  
ament & laudent te, in tempore & æter-  
nitate!

## CONSIDERATIO XXII.

*Æternitas Divinitatis.*

*A saculo, usque in saculum, tu es Deus.*

*Psal. 49.*

*4. Martii.*

I. **C**ONSIDERAVIMUS, quid sit æternitas;  
nunc quænam in Domo æterni-  
tatis, æterna sint, expendamus; atque à  
Deo O. M. auspicemur. Tu in primis, ô  
magne Deus, es æternus: nam *A saculo*  
*usque in saculum, tu es Deus. l. c.* Tu nun-  
quam cœpisti, nunquam desines: tu  
omne



omne tempus occupas & ambis, *anti-*  
*quus dierum.* Dan. c. 7. 9. Tu es omnium  
 avum, & tempus, ante dies, ante avum, an-  
 te tempus. S. Dionys. L. de divin. nom. c.  
 10. Tu nimirum es ante omne tempus,  
 etiam comprehensibile à creatura, &  
 post omne tempus eris. At quamdiu?

II. Tu ô Deus! infinito intervallo,  
 ante omne tempus imaginabile fuisti; &  
 infinito intervallo, post omne tempus  
 imaginabile eris. Concipiat quis mente,  
 tam ante, quàm post mundum conditum,  
 tot annorum myriades, quot numeran-  
 tur stellæ in cœlis, atomi in regione aëris,  
 guttæ in mari & fluviis, arenæ in litore  
 maris, folia, flores, grana, & semina, in  
 omnibus mundi agris, campis & sylvis,  
 tempore æstatis. Crederet quis nume-  
 rum hunc speciem esse cujusdam æterni-  
 tatis; verùm tu, mi Deus, adhuc infini-  
 tis sæculis & sæculorum myriadibus an-  
 tecessisti, & totidem sæculis, post omne  
 tempus permanebis. *A seculo usque in*  
*seculum, tu es Deus.* Psal. 89. 2.

III. Ideoque æternus es: anni tui, ut  
 initio carent, sic & nunquam deficient,



178 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
non est in te hesternum & crastinum; sed  
merum & perpetuum, hodiernum, per  
quod nos & dies nostri transeunt, *Sum-*  
*mus enim es, & non mutaris, neque pera-*  
*gitur in te hodiernus dies, & tamen in te*  
*peragitur; quia in te sunt & ista omnia:*  
*non enim haberent vias transeundi, nisi*  
*contineres ea: & quoniam annitui non de-*  
*ficient, annitui hodiernus dies: & quàm*  
*multi jam dies nostri & Patrum nostro-*  
*rum, per hodiernum tuum transierunt, &*  
*transibunt adhuc alii. Tu autem idem ipse*  
*es, & omnia crastina atque ultra; omnia-*  
*que hesternæ & retrò; hodie facies, hodie*  
*fecisti: Quid ad me si quis non intelligat,*  
*Gaudeat etiam sic & amet, non invenien-*  
*do, invenire potius te, quàm inveniendo,*  
*non invenire te. S. Aug. L. 1. Conf. c. 6.*  
*O quis hæc capiat? Verè ipse est Deus vi-*  
*vens & aternus in sæcula. Daniel. c. 6. 26.*

*Aspirationes.*

**O** Divina Aeternitas! hypostasis, prin-  
cipium, mensura, radix & origo  
omnium sæculorum; quæ tuâ duratione  
aeternâ, priores omnibus sæculis & supe-  
rior:



rior : sub qua omniavolvuntur sæcula.  
 Tu semper menti meæ obverseris ! tu in-  
 timis mihi sensibus hæreas ! Tu omnium  
 actionum mearum, ac totius vitæ sis re-  
 gula ! Omnia temporalia, sive bona, sive  
 mala, præ te contemnam, & nihili du-  
 cam, ut ad tuam æternitatem beatam, ali-  
 quando perveniam. *Tu solus æternus &  
 immensus, implens omnia, solatium ani-  
 mæ, & vera cordis læticia.* Thom. Kemp.  
 L. 2. c. 5.

## §. Martii.

I. **Q**uemadmodum, magne Deus, Es-  
 sentia ac natura tua est æterna; sic  
 & attributa tua sunt æterna, sic proprie-  
 tates, perfectiones, & omnia, in te æter-  
 na sunt. Omnipotentia tua est æterna :  
 nam *potestas tua usque in æternum.* Dan,  
 c. 6. 27. Bonitas tua est æterna : quia est  
*ab æterno in æternum.* 1. Paral. c. 29. 10.  
 Justitia tua est æterna : nam *justitia tua,  
 justitia in æternum.* Psal. 118. 142.

II. Misericordia tua est æterna : *quo-  
 niam in æternum misericordia ejus.* Psal.  
 135. 1. Pulchritudo tua, dulcedo tua,



180 *Domus aternitatis. Consideratio*  
liberalitas tua, sanctitas, amabilitas, ma-  
jestas tua est aeterna; quia idem tecum  
sunt, & tu es *Deus benedictus ab aeterno,*  
*usque in aeternum.* 1. Paral. c. 16. 36. Sed  
in primis Sapiencia & Providencia tua est  
aeterna: quia *ab aeterno ordinata, & ante-*  
*quam terra fieret, & abyssi, & montes &*  
*fontes aquarum.* Proverb. c. 8. 23. In cujus  
Dicasterio, ab aeterno jam omnia semel  
constituta ac decreta, omnique consi-  
lium de omnibus captum & conclusum  
est; nihil de novo restat deliberandum,  
nihil non plenissime expensum, omnia  
definita & decisa, quae vel fient, vel non  
fient.

III. In hoc divinae Sapienciae Consi-  
torio; omnium mortalium series & res  
ordinatae ac dispositae ab aeterno sunt.  
Ibi quoque ego miser peccator nume-  
ratus & appensus sum, & librata sunt  
omnia opera mea; ibi mihi poena, vel  
gloria aeterna praeparata: ibi vel regno  
cum Sanctis omnibus in gloria; vel cum  
impiis & Diabolis ardeo in gehenna: a-  
ternitas enim praescientiae tuae, mi Deus,  
& decretorum tuorum, libertati nostrae  
nihil



nihil officientium, anticipat omnia, & quidquid unquam in tempore futurum est, ibi jam factum est. Lessius de perfect. divinis L. 4. c. 5.

*Affectus admirationis.*

**O** Deus æterne! In omnibus attributis tuis æternis, summè admirande! Ego ad illa, & præcipuè ad sapientiæ tuæ æternæ abyssum, ad Providentiæ tuæ adytum, & præscientiæ arcanum, & ad decretorum tuorum æternorum incomprehensibile mysterium, attonitus hæreo, stupeo elinguis & contremisco: sed simul laudo, revereor, approbo, & profundè adoro, justa ac sancta in æterno Sapientiæ, Providentiæ, Omnipotentia, Bonitatis, Justitiæ ac Misericordiæ tuæ Consistorio, de me, de meis, de omnibus, ab æterno facta decreta. Pater meus, Dominus meus, Deus meus estu: *In te*

*Domine speravi, non confundar in æternum. Psal. 30. 2.*





6. Martii.

I. **P**erpende denique, omnia quæ in Deo sunt, esse æterna. *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum, in universa terra? quàm stupenda sunt, omnia quæ in te sunt magnalia! Quidquid enim in te est, Deus immense, æternum est. Æterna est natura tua, æterna intelligentia tua, æterna memoria, æterna voluntas, æterna vita, æterna iudicia, decreta, consilia, gaudia, oblectamenta. O quàm hæc sunt admiranda!*

II. Magnitudo tua, summe Deus, est æterna immensitas: natura tua, est æterna bonitas; virtus tua est æterna infinitas: voluntas tua est æterna æquitas: lex tua, est æterna sanctitas: vita tua, est æterna felicitas: ætas tua, est æterna æternitas. O ætas stupenda! quæ nec transit, nec venit, sed Deo commensurata perstat sine principio, sine fine. O æternitas æterna! *cui nec præterita transeunt, nec futura succedunt: cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec casus finem dabit; sed ante sæcula, & in sæculis, & per sæcula, in æter-*



aterrnum vivis, & est tibi perennis laus &  
 aterna gloria, perpetuum regnum, & sine  
 fine imperium, per infinita & indefessa &  
 immortalia secula seculorum. S. Aug.  
 Med. 12.

III. Hæc, ô Deus! æternitas tua, & at-  
 tributorum, actionumque tuarum, quæ  
 sine sui initio, omnibus initia dat, sine sui  
 mutatione, omnia mutabilia facit, in ma-  
 gnitudine est infinita, in bonitate sum-  
 ma, in sapientia inæstimabilis, in confi-  
 liis terribilis, in judiciis justa, in cogita-  
 tionibus secretissima, in verbis verax, in  
 operibus sancta, in misericordiis copio-  
 sa. Unde eam, cum fervo tuo fideli, Au-  
 gustino intueor velut formidabilem  
 quandam abyssum, coram qua, intelle-  
 ctus humanus contremiscat, præ timore,  
 non audens ipsam aspicere in facie, ne ab  
 ejus opprimatur majestate: veluti oculi  
 nostri obducunt palpebras, nequaquam  
 ausi fixè aspicere rotam solis flammam-  
 tem S. August. L. 10. Confess.

Unde cum eodem Divo  
 suspirio.

Suspi-



## Suspiria.

**O** Quis tenebit cor meum, & figet illud, ut paululum stet, & paululum capiat splendorem semper stantis, & comparet cum temporibus nunquam stantibus, & videat esse incomparabilem? O sempiternus Deus! Æterna memoria tua de me benignè cogitet; intellectus tuus me respiciat; voluntas tua me diligat; immensitas protegat, natura conservet, virtus roboret; lex dirigat, vita animet; ætas ætatem meam labantem ac paulatim fatiscentem, ita perficiat in tempore, ut tecum perennet in beata æternitate.

## CONSIDERATIO XXIII.

Immutabilitas divinæ æternitatis.

*Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Jacobi ep. c. 1.*

7. Martii.

I. **Æ**ternitas Dei est prorsus immutabilis. *Ego Dominus & non mutor. Malach. c. 3. 6.* Id est, sum immutabilis  
in



in omnibus. Nam æterna Dei natura ac substantia est immutabilis, quia est & manet semper eadem, nunquam alia; semper sibi similis, nunquam varia; semper stabilis & perfecta, nunquam vel in minimo mutationi subjecta. *Apud quem non est transmutatio. l. c.*

II. Æternitas divina est immutabilis, quia nulla in ea est generatio, nulla corruptio; nulla auctio, nulla imminutio; nulla compositio, nulla divisio, nulla accretio, nulla decretio; *nec vicissitudinis obumbratio. l. c.* Qualis in æternitate sua erat, ante mundum conditum, talis est modò, eritque post tot annorum miliones, quot sunt in æthere stellæ radiantés.

III. Æternitas divina est immutabilis, in actionibus. Omnis enim cogitatio, omne consilium, omnis voluntas, amor, odium, complacentia, displicentia, gaudium, felicitas, quæ modo in Deo est; ab æterno in eo fuit, & in omnem æternitatem erit; absque ulla variatione, accessione, aut imminutione, & manebit semper idem ipse, sempiternus, immortalis atque incom-



186 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
incommutabilis: *Quem nec spatia dila-*  
*tant, nec brevitās locorum angustat, nec*  
*receptacula ulla coarctant: nec voluntas*  
*variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœ-*  
*sta perturbant, nec leta demulcent: cui nec*  
*oblivio quidquam tollit, nec memoria red-*  
*dit. S. Aug. Med. c. 12.*

*Suspiria.*

**O** *Æterna immutabilitas & immuta-*  
*bilis æternitas! Tange apicem ani-*  
*mæ nostræ, radio lucis tuæ, & mentem*  
*nostram trahe sursum ad te, supra omni-*  
*um mutabilium sphaeras, supra solis an-*  
*nique vias, super omnia bona creata: &*  
*redde eam quodammodo immutabilem*  
*& imperturbabilem. Itaque eam tibi in-*  
*dissolubili charitatis vinculo astringe, ut*  
*neque mors neque vita; neque ubertas,*  
*neque paupertas; neque gloria, neque*  
*ignominia, neque voluptas, neque ad-*  
*versitas; neque sublimitas neque pro-*  
*fundum, neque ipsæ inferorum portæ,*  
*& universa diaboli tormenta valeant*  
*eam, perturbare, convellere, aut à te se-*  
*parare in æternum.*

*8. Martii.*



## 8. Martii.

I. **Æ**ternitas divina, ulteriùs, est immutabilis, ita ut ab omnibus Angelis, hominibus, cæterisque creatis, nihil illi intrinsecus accedat; omnibus pereuntibus, nihil pereat. In æternitate sua, ante mundum conditum, tam erat felix ac dives, atque est nunc, post mundum conditum. Unde ex mundi creatione, ex Angelorum, hominùmque obsequiis, cultu, honore, laudibus, nihil illi accedit felicitatis aut gaudii intrinsecus. Non enim cuncta creavit, commodi & solatii sui causâ, verùm ut bonorum suorum affluentiam communicaret, & creaturas divitiarum suarum participes redderet: quemadmodum sol aërem illuminat, non ut sibi proffit; sed ut rebus inferioribus bene sit. Lessius de perfect. div. L. 3. c. 1.

II. Manet itaque æternitas divina, omnibus creatis, demptis, invariata: nihil enim illis, vel positis, vel demptis, illi accedit, vel decedit: non aliquid substantiæ, non aliquid potentia, non magnitu-



188 *Domus aternitatis. Consideratio*  
gnitudinis, non intellectio-  
nionis, non damni, non lucri, non loci,  
non temporis, non sitûs, non modi, non  
rei ipsi intrinsecæ cujuscunque. Quia,  
quidquid ab æterno in illo fuit, id in æ-  
ternum perseverat.

III. Pereat igitur cœlum, pereat terra;  
pereant Angeli, pereant homines, in ni-  
hilum redeant res creatæ omnes: Deus  
tamen nihil perdit, nihil de substantia &  
æternitate sua beata amittit: sed æquè  
plenus gaudio, plenus beatudine, atque  
omni bonorum genere permanet. *Opera*  
*manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt;*  
*tu autem permanes.* Hebr. c. i. ii. Ex qui-  
bus patet, quamvis Deus opera nostra  
bona amet, æstimet ac præmiis æternis  
remuneret; ob promissionem suam &  
merita Filii sui; quæ sunt infiniti valoris.  
Scelera quoque nostra justè pœnis æter-  
nis plectat, nec opera tamen bona, nec  
mala, quidquam felicitati ejus æter-  
næ, intrinsecus, aut addere,  
aut demere.

*Affectus*



*Affectus humilitatis.*

**O** Deus æterne, immutabilis, tibi que sufficientissime! Quis nisi insipiens, sibi blandiatur, quod multum pro te fecerit; aut laboribus suis, aliquod tibi beneficium præstiterit? nam præterquam, quod hæc infinita alia, tibi ex gratitudine debeamus; tūque ea optimo jure, à nobis possis exigere; omnia ista non tibi, sed potius nobis & proximis nostris prosunt. *Si peccaveris, quid ei nocebis? Et si multiplicata fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum? Porro si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Job. c. 35. 6. Absit ergo omnis complacentia, absit inanis gloria. *Dixi Domino; Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Psal. 15. 2.

## 9. Martii.

**L. Æ**terna Dei immutabilitas, & æterna sapientia ac potentia, semper immobilis, & quod admirandum est, semper in motu est, semper movet: semper quæta, & in omnibus laborat; semper



190 *Domus eternitatis. Consideratio*  
per antiqua, & omnia invocat. Deus  
enim est *immutabilis mutans omnia, nun-*  
*quam novus, nunquam vetus, innovans*  
*omnia; semper agens, semper quietus: col-*  
*ligens non egens, portans non implens, pro-*  
*regens, creans, & nutriens & perficiens.*  
S. Aug. L. I. Confess. c. 4.

II. *Æterna Dei immutabilitas, quid-*  
*quid agit, semper invariata persistit: cum*  
*mundum creat, regit, mutat, punit, na-*  
*turam humanam assumit, mira opera-*  
*tur, patitur, crucifigitur, moritur, re-*  
*surgit, ascendit, Spiritum sanctum mit-*  
*tit, ignominiã afficitur, vel honoratur,*  
*laudatur vel contemnitur, non tamen*  
*ideo mutatur; non vicissitudinem ullam*  
*cogitationum, consiliorum, aut volunta-*  
*tum subit; non affectu ullo novo tangi-*  
*tur; sed in sua simplicissima identitate*  
*immobilis & in primævo statu suo fixa*  
*super omnia perseverat.*

III. *Æternitas illa immutabilis stat*  
*semper immota, semper inconcussa, ve-*  
*lut rupes in immenso, æternitatis & infi-*  
*nitatis suæ oceano, dum reliqua omnia,*  
*quæ sub sole sunt, accrescunt & de-*  
*crescunt,*



crescunt, proficiunt & deficiunt, juvenescunt & senescunt, florent & deflorescunt, virent & exarescunt, veniunt & abeunt, pereunt & in nihilum suum relabuntur. *Omnes ut vestimentum veterascent; Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Hebr. c. 1. 11. & Pl. 101. 27.

*Petitio.*

**Q**Uare, ô æterna immutabilitas Deus meus! Ego instabilis & variabilis homo, omni vento, aurâque inconstantior, pro firmitate ac stabilitate, ad te supplex confugio, atque obsecro, ut instabilitatem meam stabilias, & mutabilitatem meam, quodammodo immutabilem reddas; ne velut stultus identidem variet, aut velut luna mutet; sed sicut sol in conspectu tuo, absque eclipsi, omnium virtutum splendore refulgeam. Oro te, firma me in te, stabili me in te, rege me per te, ut in omni bono, immutabilis perseverem, omnibus diebus vitæ meæ, donec tibi jungar in immutabili æternitate.



## CONSIDERATIO XXIV.

*Aternitas Dei Patris.**Ego hodie genui te Psal. 127.**10. Martii.*

I. **C**onsidera, id, quod legimus in symbolo S. Athanasii: *Aternus Pater, aternus Filius, aternus Spiritus sanctus, & tamen nō tres aterni, sed unus aternus.* Igitur primò Deus Pater est aternus: ait enim in persona Patris loquens Propheta regius: *Ego hodie genui te. I. c. Hodie, hoc est, in die aternitatis, qui nunquam est crastinus, nunquam hesternus, nunquam præteritus, nunquam futurus; sed semper hodiernus, semper præsens, semper hodie, semper nunc, in quo gignit, in quo omnia peragit, omnia peregit, omnia peraget, tam præterita, quam futura.*

II. In hoc igitur aternitatis, *hodie*, Genitor aterne, dum te ipsum, infinitam pulchritudinem, cæterasque perfectiones tuas, evidentissimè & perfectissimè intelligis, per hanc cognitionem, conceptum tui, clarissimum, perfectissimūque



que producis, & hic est Filius tuus æternus & unigenitus. O mirabilis Pater! O stupenda generatio. *Generationem ejus quis enarrabit?* Isaia c. 53. 8.

III. Tu es Pater æternus, quianunquam fuisti non Pater: neque ex non Patre, factus est Pater; sed sicut ab æterno Deus es; ita ab æterno Pater es: quemadmodum enim Sol eodem momento, quo esse cœpit, luce suâ illuminavit; ita & Majestas tua ab æterno Filium genuit, eumque semper, & in omnem æternitatem generat, atque in ejus generatione, purissimè & infinitè delectatur.

*Affectus gratulationis.*

O Pater æterne! Pater ingenite, Genitor primoprime! ego de tua essentia æterna, uti & de paternitate & generatione æterna, tibi gratulor: ac de lumina, quam in ea habes, voluptate & complacentia gaudeo. Gratulor tibi & collætor, de tali Filio, in æternitate, potentia, sapientia & bonitate tibi ita simili, ut sit unum tecum. Adopta quæso, me, aliósque innumeros, in filios, Filio tuo



194 *Domus eternitatis. Consideratio*  
moribus non absimiles, regni tui æterni  
futuros hæredes, ut impleatur in nobis,  
quod dixit dilectus discipulus: *Videte,*  
*qualem charitatem, dedit nobis Pater, ut*  
*filiu Dei nominemur & simus.* I. Joan.  
cap. 3. 1.

II. *Martii.*

I. **P**ater cælestis, non solum est Genitor  
æternus Filii, sed etiam *Spirator æ-*  
*ternus* Spiritûs sancti: quem ipse & Fili-  
us ab æterno spiravit, etiamnum spirat,  
& in æternum spirabit, cum amore æ-  
terno, ex amore æterno, ad amorem æ-  
ternum.

II. Spirator hic, est quasi æternus, in-  
creatus, ingenitus Sol, Filius est quasi æ-  
ternus, increatus, sed genitus Solis ra-  
dius: Spiritus sanctus, est huius Solis &  
Radii, æternus, non creatus, nec geni-  
tus, sed spiratus, quasi ardor amoris. Pa-  
ter æternus est Pater luminum, fons glo-  
riæ, beatitudinis & vitæ: Filius est lu-  
men de lumine, candor lucis æternæ, &  
splendor paternæ gloriæ. Spiritus san-  
ctus, est Patris Filiique clara suavitas, &  
suavis



suavis claritas, est Patris Filiique amoro-  
sa, & illustris omnium deliciarum satieras.

III. Pater æternus ex quo omnia: Fi-  
lius æternus, per quem omnia: Spiritus  
sanctus æternus, propter quem omnia.  
Pater est æterna, immensa & infinita  
omnipotentia: Filius est æterna, immen-  
sa, & infinita sapientia: Spiritus sanctus  
est æterna immensa & infinita Bonitas ac  
dulcedo. Insuper Patri adscribitur æter-  
nitas, Filio veritas, Spiritui sancto chari-  
tas: Patri creatio, Filio gubernatio, Spi-  
ritui sancto conservatio: Patri prædesti-  
natio, Filio redemptio, Spiritui sancto  
sanctificatio: Patri vocatio, Filio justifi-  
catio, Spiritui sancto glorificatio: Patri  
purgatio, Filio illuminatio, Spiritui san-  
cto perfectio: Patri principium, Filio  
medium, Spiritui sancto finis & ter-  
minus. O artifex æternus, & conditor  
omnium, potestas! Idea & ars omnium  
sapientia! O lac & fomentum ac nutrix  
omnium suavitas! recrea me, doce me,  
pascere & fove me, ut fruatur te & vi-  
vam in te, in cœlesti beati-  
tudine.



*Petitio.*

**O** Spirator æterne ! Sol amoris & gratiæ, fons lucis & gloriæ ! Pater potentiæ infinitæ, illustra me, accende me, & potenter operare in me. Inspira mihi Spiritum sanctum, spiritum fervoris, veritatis, charitatis & perfectionis, ut hoc spiritu aurigante, agar & agam ex spiritu, loquar ex spiritu, orem, zelem, laborem, studeam, scribam, doceam, & prædicem ex spiritu. Hoc enim certum filiationis tuæ signum erit : *Quicumque enim Spiritu Dei, aguntur, ii sunt Filii Dei.* Rom. c. 8. 14.

12. *Martii.*

**I.** Pater æternus, non tantum est Generator & Spirator; verum etiam Creator: omnium enim extra se existentium Author & Factor est. Licet enim & Filius & Spiritus sanctus, creator sit; Patri tamen, tanquam Patri & primæ in Trinitate personæ, omnipotentia & creatio attribuitur. Ipse igitur, ut ab æterno statuit, ita in principio cælum & terram  
crea-



creavit; non ex aliquo, sed ex nihilo; non magno molimine, sed imperio & verbo, vastam hanc machinam produxit, & in aëre circumfuso, sine fulcris, mirabiliter suspendit.

II. Pater ergo æternus, creavit cœlum, cum Angelis & Archangelis: firmamentum cum Sole, Luna & astris: ignem cum suis phænomenis, & meteoris; aërem cum volucibus; aquam cum piscibus; terram cum hominibus, animalibus & plantis. Et hac de causa eorum Pater nuncupari non dedignatur: *ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Ephes. c. 3. 44. Et apud Job c. 38. 28. *Quis est pluvie Pater? Vel quis genuit stillas roris? De cujus utero egressa est glacies? Et gelu de cœlo quis genuit?*

III. Tu Pater æterne, omnium es creator omnium conservator; omnium regula & rector, ordo & series: decor & species, vigor & robur, modus & status, medium & finis, initium & clausula, alpha & omega, præmiator & præmium, pax & gaudium, corona & merces omnium. O Pater cœlestis! utinam omnes te



198 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
agnoscerent Patrem; quos creas! utinam  
honorarent ut Patrem; quos gubernas!  
utinam sperarent in te, ut Patrem; qui-  
bus de victu, amictu & omnibus provi-  
des! utinam amarent ut Patrem; quos in  
filios adoptasti, & regni caelestis hære-  
des scripsisti!

*Affectus variarum virtutum.*

**O** Pater & Creator benignissime! ego  
propter innumera beneficia ac  
dona tua, toto vitæ meæ tempore mihi,  
omnibusque mortalibus præstita, ac totâ  
aeternitate, ut confido, præstanda; toto  
me, toto te, toto universo, grates tibi re-  
fero, adoro te, glorifico te, amo te, vene-  
ror te, timeo te, spero in te, credo in te,  
desidero te, toto te toto me, toto uni-  
verso te amplector, tibi supplico, tibi  
me offero, dedico, consecro, in famu-  
lum, in subditum, in mancipium, in fi-  
lium sempiternum. O si audire merere-  
mur ex te: *Ego ero vobis in Patrem, &  
vos eritis mihi in filios. 2. Co-  
rinth. c. 6. 18.*

CON-



## CONSIDERATIO XXV.

Æternitas Filii Dei.

*In splendoribus Sanctorum, ex utero ante  
Luciferum genui te. Psal. 109.*

13. Martii.

I. **C**onsidera, Filium Dei quoque esse æternum: quia ab æterno à Patre æterno est generatus. Veluti David in persona Patris æterni loquitur Psal. 109. *In splendoribus Sanctorum* (sive sanctitatis) *ex utero ante Luciferum genui te.* Dicit primò: *Ex utero*: quod S. Hieronymus exponit: *de natura mea divina, de visceribus meis, de mea substantia, de medullis divinitatis mee.* Deinde ait: *Ante Luciferum*, id est ante mundum, ante cœlum, ante solem, lunam & sidera, cæteraque creata omnia: *genui te*, semper gigno, & à tua generatione nunquam desisto.

II. Filius Dei igitur æternus est, ab æterno, non factus, sed genitus; non creatus, sed productus, non per artem, ut opus artificis; non ut res creata, per pro-

I 5

ductio-



200 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
ductionem ex nihilo; non ut alia vivenda corporalia, per seminationem, sed ut verbum mentis, ut verbum in corde Patris, ut effigies vera & viva Patris, ut imago aeterna Patris. *Est enim imago Dei invisibilis.* Ad Coloss. c. i. 15. Non posterior Patre; sed coaeva & coaeterna Patri.

III. Hujus imaginis invisibilis pictor est Pater aeternus, in hac pictura pingenda semper occupatus; pulchritudo, quam habet ante oculos & repraesentare intendit, est propria ipsius essentia Patris; colores quibus utitur, sunt omnes admirandae ejus perfectiones; penicilli locum obtinet intellectus; opus, quod nunquam coepit, nunquam finitur; sed semper producitur, est ipse Filius, *imago Dei invisibilis.* l. c. Et hic Filius semper est conjunctus Patri, a quo nunquam separatur, e cujus sinu nunquam egreditur, a cujus amplexu nunquam removetur, filius unigena, haeres omnium Patris bonorum. *Haeres universorum, per quem fecit & saecula.* Hebr. c. i. 2.

*Aspi-*



*Aspirationes.*

**O** Fili Dei æterne! imago pulcherri-  
ma & simillima Patris, imprime mi-  
hi, virtutis & perfectionis tuæ similitu-  
dinem! & fac me æternitatis tuæ beatæ  
participem! O Fili conjuncte semper Pa-  
tri, da ut tibi maneam semper conjun-  
ctus amore; nunquam sejungar à te; sed  
in sinu Patris & in pectore ejus tecum re-  
quiescam; quò aliquo modo particeps  
evadam, lucis, amoris, voluptatis; qui-  
bus istic fruëris. Non desidero sinum  
Abrahæ; sed sinum Patris tui: quia ubi  
tu es, & ego esse cupio, dixisti enim: *Ubi  
sum ego, illic & Minister meus erit.* Joan.  
c. 12. 26.

## 14. Martij.

**I**lius Dei, est quoque *æternum Ver-  
bum Patris.* Non, ut verbum hu-  
manum, linguâ & ore formatum, citò  
transiens, & cum fonitu evanescens; sed  
Verbum divinum, Verbum substantiale,  
verbum semper permanens. Hoc enim  
verbum divinum, sicut fuit ab æterno, ita



202 *Domus eternitatis. Consideratio*  
manet in æternum. *Verbum Domini ma-*  
*net in æternum.* 1. Petric. 1. 25. Verbum  
bonum, quod Pater eructat; Verbum di-  
vinum, quod omnia complectitur: ver-  
bum infinitum, quod nunquam dicendo  
absolvitur; Verbum unum & unicum;  
plura enim Pater proloqui nequit. Ver-  
bum *mirum*, rarum, longum, abbrevia-  
tum. *Verbum capacissimum*, quod dum  
Pater profert, seipsum & omnia effabilia  
dicit, quod semper dicit, & à quo dicen-  
do, nequit desistere.

II. Filius Dei, æternum Verbum Pa-  
tris, est *verbum sapientissimum*; quo uno  
æternus Pater exprimit, ac dicit, quid-  
quid intelligit, quidquid sapit, quid-  
quid comprehendit. *Verbum ditissimum*,  
*in quo sunt omnes thesauri sapientie & sci-*  
*entia Dei absconditi.* Coloss. c. 2. 3. Adeo-  
que est *thesaurus desiderabilis.* Prov. 21.  
20. *Thesaurus infinitus hominibus.* Sap.  
c. 7. 14. *Verbum potentissimum*, per quod  
condita sunt universa: *Quoniam, ex ipso*  
*& per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Rom.  
c. 11. Omnia, sive in cœlis, sive in terris,  
visibilia & invisibilia.

III.



III. Vides, quàm stupendum, hoc sit Verbum æterni Patris. Est enim *Verbum æternum*, omnia complectens tempora, præterita, præsentia & futura. *Verbum admirabile*, cui tot studuere sæcula, & nondum perceperunt. *Verbum ineffabile*, cui explicando infinita non sufficiunt volumina. *Verbum incomprehensibile*; cuncta Angelorum & Hominum superans ingenia. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*. Eccli. c. 1. 5. Principium de principio, carens principio; Filius Patris, Patre non junior, non minor, nec inferior: Patris vita, oculus, speculum, forma, quies, sapor, gustus, negotium, delictum, theatrum.

*Aspirationes.*

O Deus de Deo! O lumen de lumine! O candor lucis æternæ! Filius imago, Verbum Patris; Verbum eloquens quod linguas infantium facis esse disertas, da mihi fructuosam eloquentiam, fluat ut ros eloquium meum, ad gloriam tuam. *Verbum sapiens*, cœlestem me doce sapientiã. *Verbum dives*, me ana-



204 *Domus aternitatis. Consideratio*  
dita inopiam. *Verbum potens*, meam ro-  
bora imbecillitatem. *Verbum mirabile*,  
fac ut mira de te scribam. *Verbum inef-*  
*fabile*, suggere, utilia, quæ loquar: *Ver-*  
*bum incomprehensibile*, da ut pro modulo  
meo, te hîc, & in cœlo plenius compre-  
hendam, amem & laudem in sæcula.

15. *Martii.*

I. **P**Erpendendum quoque est, quod Fi-  
lius Dei æternus, sit *Verbum incar-*  
*natum*, *Verbum abbreviatum*, *Verbum*  
*caro factum*. Joan. c. 1. Ut nos æternæ  
damnationis reos redimeret, & æternâ  
salute bearet: hominum beneficus Re-  
demptor ac Salvator. Quem in finem  
hoc *Verbum æternum*, in tempore natu-  
ram humanam, unione hypostaticâ sibi  
conjunxit; assumpsit humanitatem, non  
hominem; naturam scilicet, non perso-  
nam, naturam passibilem, non beatam,  
de stirpe Adæ, sed absque peccato, bis ge-  
nitus, semel natus in tempore, qui sem-  
per nascitur in æternitate.

II. O quis unquam audivit talia? Na-  
tus Pater ex filia, artifex ex opere, Sol de  
radio,



radio, fons de rivulo, universitas ex to-  
mo, vir ex Virgine, Deus ex homine. O  
admiranda dignatio! Natus in tempore,  
Pater & Author temporis: lactatus ube-  
re, lactator universi; strictus est fasciis,  
mundum pugillo continens: laboravit  
in mundo vivens, qui nihil laboravit  
mundum condens.

III. Denique quis non obstupescat?  
Quis non miretur hoc *Verbum mirabile*?  
Verbum tacuit, gaudium flevit, latuit ob-  
scurus, candor lucis, in mundo ad tem-  
pus, in quo mundus ab æterno latuit:  
vixit in plebe, abjectio plebis, apud quem  
omnis plebs est abjectio, quoties illi pla-  
cet. Quid plura? O quàm multa, quàm  
magna, quàm ardua, quàm mira patra-  
vit ac sustinuit? O Sapientia! quid egi-  
sti ultrà? pependit in patibulo Majestas  
Dei: Deus flagellatus flagris, coronatus  
spinis, illitus sputis, confixus cla-  
vis: subiit mortem, vita im-  
mortalis.

\* \*  
\*

Affe-



*Affectus admirationis.*

**O** Verbum incarnatum, mundi Sal-  
vator, Sapia Patris! Sapiebátne,  
cùm talia agebas? Celsitudo tua humi-  
liatur; Majestas, ut vermis contemnitur;  
ipsa sanctitas scelerum arguitur; amor  
odio habetur; voluptas Angelorum,  
crucitur; Author vitæ, morti adjudica-  
tur. Quomodo hæc tolerare potens  
voluisti, volens potuisti? Tuum hoc o-  
pus est Sapia: sapiebat id sapor tuo:  
ô fac quoque ut similia sapiant gustui  
meo: fac ut mundi, carnisque dulcedo,  
mihi vertatur in amaritudinem, & ama-  
ritudo in dulcorem; quô hîc tuæ parti-  
ceps evadam sapientiæ & similitu-  
dinibus, ibi vitæ & gloriæ  
perennis.



CON-



## CONSIDERATIO XXVI.

Æternitas Spiritûs Sancti.

*Pater, Verbum & Spiritus sanctus.*

1. Joan. c. 5. 7.

16. Martii.

I. **C**onsidera etiam *Spiritum sanctum* esse æternum; veluti Pater & Filius æternus est. *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus*, ait S. Athanasius in Symbolo. Est autem æternus, quia à Patre & Filio, est spiratus ab æterno, & in æternum, sine cessatione aut interruptione spiratur. Adeoque Spirator est æternus; Spiratio est æterna; & spiratus est æternus; qui à Patre & Filio, tanquam ab uno principio & uno Spiratore, ab æterno procedit, & in æternum erit.

II. Pater est Spiritus, Filius est Spiritus, Spiritus sanctus est Spiritus: sed quia hic est utriusque nexus, utriusque amor, & quasi impulsio quædam dilectionis, Patris in Filium, & Filii in Patrem, hinc Spiritus sanctus meritò dicitur

tur



208 *Domus eternitatis. Consideratio*  
tur Spiritus : est enim Spiritus Patris , à  
quo accipit suam divinitatem & omni-  
potentiam : est Spiritus Filii , à quo ac-  
cipit eandem divinitatem & sapientiam :  
est Spiritus utriusque à quo procedit ut  
amor.

III. Pater est Sanctus , Filius est San-  
ctus , Spiritus sanctus , est Sanctus ; sed  
huic peculiari ratione attribuitur , san-  
ctitas , velut Patri omnipotentia , & Fi-  
lio sapientia ; quia est charitas increata,  
nexus amoris inter Patrem & Filium , &  
fons omnis sanctitatis , potissimum con-  
sistentis in charitate. Est Spiritus deni-  
que unus & unicus , quia esse plures Spi-  
ritus sanctos , est impossibile. Est tamen  
etiam Spiritus multiplex , ut Isaias ait :  
*Spiritus sapientia & intellectus , Spiritus*  
*consilii & fortitudinis , Spiritus scientia &*  
*pietatis , & Spiritus timoris Domini. cap.*  
*II. 17.*

### *Suspiria.*

**O** Spiritus eterne , imprime mihi alta  
illa æternitatis principia & lumina,  
quibus Sanctos illustrasti ! O divine Spi-  
ritus,



ritus, da ut spiritus meus, à Spiritu tuo ducatur ac regatur! O Spiritus Sancte esto mihi impulsus & impetus assiduus dilectionis, perfectionis & sanctitatis! O Spiritus *une & multiplex!* largire mihi septena dona tua. Adversus *stultitiam* arma me spiritu sapientia; contra *ruditatem*, spiritu intellectus, contra *precipitantiam*, spiritu consilii; contra *ignorantiam*, spiritu scientia; contra *pusillanimitatem*, spiritu fortitudinis; contra *cordis duritiam*, spiritu pietatis; contra *superbiam*, spiritu timoris Domini. S. Gregor. L. 2. Moral. c. 26. Ut tibi constanter adhæream, & unus quodammodo tecum spiritus evadam: nam *Qui adheret Domino, unus spiritus est.* I. Corinth. c. 6. 16.

17. Martii.

I. Spiritus sanctus, est æternè sanctus, & *sanctitas æterna*, cùm enim formalis sanctitas consistat in cognitione & amore ipsius, & ipse seipsum ab æterno cognoscat & amet, atque in æternum cogniturus & amaturus sit; patet ejus sanctitatem esse æternam: ipsumque esse æter-



210 *Domus aternitatis. Consideratio*  
æternam, immensam & infinitam san-  
ctitatem, cum ipse sit sui cognitio, amor  
& fruitio, æterna, immensa & infinita.

II. Igitur Spiritus sanctus est *amor æ-*  
*ternus*; quia ejus principium seu produ-  
cens ac spirans est amor æternus: *Deus*  
*charitas est.* 1. Joan. c. 4. 8. Ejus quoque  
processio, est amor æternus; quia dile-  
ctio mutua Patris & Filii est. Denique  
ipse Spiritus sanctus, amor est æternus,  
eâ dilectione spiratus; illud enim, quod  
dilectione emanat, non aliud, quam a-  
mor est. Hac de causa idem ille Spiritus  
divinus supra Apostolos in linguis igneis  
apparuit; quia amor est, ab æterno ar-  
dens, & in tempore statuto, corda disci-  
pulorum inflammans.

III. Quia Spiritus sanctus, *amor æter-*  
*nus* est; hinc quoque æternum basium  
est, quo Pater Filium, Filius Patrem ab  
æterno osculatur. Æternus ardor est,  
quo mutuos in amores effervescent:  
halitus est, quo se afflant, complexus est,  
quo se jungunt, unio quâ se nectunt, vin-  
culum quo se ligant, nodus quo se strin-  
gunt, ignis æternus, ad cujus incendium

Pater



Pater in Filium ; Filius in Patrem, mutuâ dilectione eliquatur : lingua est, quâ se mutuò alloquuntur : echo est, quæ Patri ex Filio & Filio ex Patre , non alio respondet *clamore* , quàm *amore* ; idque totâ æternitate.

*Suspiria amorosa.*

**O** Spiritus sancte, sanctifica me in veritate! ô amor æterne accende me sincerâ dilectione! O ignis qui semper ardes, & nunquam extingueris! ô ardor, qui semper ferves & nunquam tepescis! inflamma me, ut diligam te, toto corde, toto me, toto te, propter te, dignè te! Tu basium es, osculare me ; complexus es, amplectere me; unio es, uni me, vinculum es, liga me, nodus es, stringe , & astringe me tibi arctissimè : lingua es, linguæ donum tribue; echo es, da ut clamori & amori tuo, amor meus, plus amando, quàm clamando respondeat; ut te, ac spiritu tuo replear. Eo enim fine *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Rom. c. 5.



18. *Martii.*

I. **D**Enique Spiritus sanctus, est, *Sanctificator* : sicut enim ab æterno statuit decrevitque ; ita in tempore homines sanctificat, ut sint sancti Deo suo, non exiguo tempore , non in præsentè duntaxat sæculo , sed sint sancti in æternum, in domo sanctitatis cœlesti : quam *decer sanctitudo*. Ipse namque est causa & origo omnis sanctitatis, viæ & patriæ, hominum & Angelorum : omnis enim sanctitas ab ipso tanquam æterno & inexhausto fonte puritatis, perfectionis & sanctitatis scaturit.

II. Ipse enim Spiritus sanctus nos mundat à peccatis : *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Ezech. c. 36. 25.* Ipse peccata, quibus infinitam Dei Majestatem offendimus, condonat, labe abstergit, animas purgat & sanctificat. Ipse cognitione supernaturali mentes illuminat, charitatem infundit, seipsum donat, suâ suavitate allicit, dulcedine inescat, bonitate recreat, liberalitate ditat,  
poten-



potentiâ protegit, sapientiâ dirigit, puritate emundat, gaudio consolatur.

III. Quare meritò nuncupatur quoque *Bonitas*, fons & abyssus bonitatis, bona faciens omnia, benefaciens omnibus, bonos faciens omnes, bona excedens omnia. Summa voluptas, ubertas, repletio, satietas, delectatio, dulcedo, amœnitas, benignitas, pietas: quæ nos hîc inchoatè sanctificatos, ad supremam atque completam evehit sanctitatem, infundendo lumen gloriæ; quo omnes Deum triunum, modo altissimo, cognoscant, ac diligant. Altissima enim, intrinseca & realis sanctitas, in altissima Dei, cognitione, dilectione & fruitione consistit.

*Aspirationes.*

**O** Sanctificator optime! Spiritus increate, largitor veniæ, collator gratiæ, munda nos ab omni inquinamento carnis & spiritûs! effice nos à peccatoribus justos, ex infirmis fortes, ex tristibus lætos, ex frigidis ferventes, ex iracundis mites, ex ignorantibus sapientes, ex timidis



214 *Domus aternitatis. Consideratio*  
dis animosos, ex imperfectis, perfectos  
& sanctos. O aeterna sanctitas! voluptas,  
ubertas & amœnitas, ex inchoata hujus  
vitæ sanctimonia, deduc nos ad sancti-  
tatem perfectissimam cœlestis patriæ, ut  
ibidem Te, uti & Patrem ac Filium; fa-  
cie ad faciem videamus, amemus & lau-  
demus in sæcula.

### CONSIDERATIO XXVII.

*Æternitas Christi JESU Regis nostri.*  
*Regnabit in Domo Jacob in aeternum, &*  
*regni ejus non erit finis. Luc. c. 1. 32.*

19. Martii.

I. **C**onsidera primò regnum Christi:  
nam Christus Dominus ac Re-  
demptor noster possidet regnum, & qui-  
dem aeternum, juxta verba Archangeli,  
*Regnabit in Domo Jacob in aeternum, &*  
*regni ejus non erit finis. l. c. Regnabit in*  
*Domo Jacob*, id est in Ecclesia, sive in po-  
pulo fideli, qui olim Christo nascente  
erat populus Israel, seu filii & posterii  
Jacob. Hoc regnum in Davide tempo-  
rale fuit; sed in Christo spirituale &  
æter-



æternum: nam eo Christus in fidelibus & Sanctis regnat, hîc per gratiã, in cœlo regnabit per gloriam, idque in æternum. Hoc regnum Deus Christo dedit, quasi in actu primo in Incarnatione; in actu secundo hoc regnum cœpit in prædicatione; promotum fuit per prædicationẽ Apostolorum, perfectum verò extitit post Christi resurrectionẽ & ascensionẽ: consummatum omnino & gloriosum erit, post judicium generale, in cœlesti Patria.

II. Considera deinde regnum Christi esse duplex. Primum est *regnum spirituale* in Ecclesia, hanc enim quasi Rempubli-  
 cam, seu imperium fidelium, Christus in Judæa instituit, atque certis legibus, ordinibus, Sacramentis ordinavit, ac per S. Petrum, ejusque successores, tanquam Vicarios suos regit & per omnes gentes propagat. Et hoc est regnum quod Messia, id est Christo, dandum prædixerunt David & Prophetæ. Ita S. Aug. Tract. 115. in Joan. Secundum *regnum Christi*, ut docet D. Thomas L. 1. de Regim. Princ. c. 12. & alii, est *physicum, sive mundanum*: Christus enim à primo con-  
 K ceptio-



216 *Domus aternitatis. Consideratio*  
ceptionis suæ instanti, propriè & directè  
habuit regnum & Dominium totius  
mundi, quoad jus & potestatem; ut pos-  
set Reges quoslibet è regno deponere &  
alios creare; licet hac potestate in terris  
non sit usus; hinc dixit: *Regnum meum*  
*non est de hoc mundo.* Matt. c. 27.

III. Magna est excellentia hujus regni  
Christi, quà homo est, & Verbo hypo-  
staticè unitus! Est enim medium inter  
regnum summum seu divinum Dei; &  
intimum seu humanum Regum terræ: &  
longè omnia regna humana excedit. 1.  
Origine, quia à Deo manat, non datur à  
Republica. 2. Firmitate, quia insupera-  
bile est, perpetuum & æternum. 3. Obje-  
cto, quia ad omnia creata, etiam ad An-  
gelos se extendit. Quæ patent ex eo, quia  
Christus dicitur in tempore, id est in hu-  
manitate, scriptum habere: *Rex Regum*  
*& Dominus Dominantium.* Apoc. c. 19.  
16. Dicitur quoque esse *Princeps Regum*  
*terra.* Apoc. c. 1. 5. Et de se ipse asserit:  
*Datæ est mihi omnis potestas, in cælo & in*  
*terra.* Matth. c. 28. Hæc enim ei debita  
erat, ratione unionis hypostaticæ cum  
Verbo,



Verbo, sive Dei Filio, per quam ascitus erat in Filium Dei, ut hæres esset & Dominus Univerforum. O quàm nobile regnum!

*Affectus submissionis.*

**O** Rex meus & Deus meus! in cuius ditione cuncta sunt posita; gaudeo de potestate tua super omnes; gratulor tibi de regno adeò magnifico & amplo: & gratias summas ago, quòd me ad regnum tuum prædestinare & vocare dignatus sis. Et sicut tu me ad Ecclesiæ regnum, ad fidem, gratiam, charitatem, Sacramenta, salutemque æternam vocasti; ita ego me totum potestati tuæ supremæ ac regię, penitus submitto. **O** Domine ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: tua me potentia protegat, dominium possideat, sapientia dirigat, fortitudo defendat, clementia foveat, & faueat, justitia remuneret: ut tanquam subditus & servus fidelis, super multa constituar & ex ore tuo dulcissimo aliquando audire merear: *Intra in gaudium Domini tui.*



20. Martii.

I. **C**ONsidera regiam Christi Majestatem! nam Christus Dominus Rex est, & quidem *aternus Rex saeculorum immortalis*. 1. Tim. c. 1. 17. Nec solum saeculorum praecedentium; sed etiam futurorum. Est *Rex Supremus & absolutus*, à nemine dependens; sed à quo omnes Reges mortales ac Principes dependent. Est *Rex potentissimus*. *Beatus & solus potens*. 1. Tim. c. 6. Dominans à mari usque ad mare. Est *Rex fortissimus*; cui, non est, qui possit resistere. Est *Rex sapientissimus*, in quo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae Dei. Est *Rex clementissimus*, benignissimus & humanissimus. *In hilaritate ejus omnium vita, & clementia ejus gratissima, quasi mber serotinus*. Est *Rex justissimus*, cujus *justitia est justitia in aeternum*. Psal. 118. 142.

II. Est quoque Christus Dominus, *Rex excelsus, Rex terribilis, Rex magnus super omnem terram*. Psal. 7. 2. *Rex excelsus* est ratione divinitatis ascensionis, dignitatis, potestatis, gloriae ac throni col-

locati



locati ad dexteram Patris. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.* Psal. 112. 4. *Rex terribilis, & formidabilis, ratione potentia, justitia, vindicta extremi judicii, & supplicii sempiterni.* *Rex magnus, universalitate domini, quia Rex est omnium populorum: duratioque, quia in æternum regnat, Authoritate, quia Rex est omnium Regum, qui totum orbem ab errore liberavit, dæmones inde expulit, & omnia quæcunque vult facit in cœlo & in terra.*

II. Hic Dominus noster Jesus, Rex tam admirabilis & magnus constitutus est *Rex super Sion, montem sanctum ejus.* Id est super Ecclesiam & toto vitæ suæ tempore, se Regem exhibuit. In incarnatione enim Rex inunctus & consecratus est. *Unxit te Deus, oleo letitia.* Psal. 44. 8. In nativitate Rex Judæorum vocatus & regia dona & regibus accepit. In prædicatione, potestatem regiam, in corpora & animas demonstravit. In ingressu Hierosolymæ, regii triumphispecimen exhibuit: In passione, factus est *Principatus ejus super humerum ejus.* Isaia c. 9. 6. Et



220 *Domus aeternitatis. Consideratio*  
in cruce titulo Regis Judæorum conde-  
coratus est. In resurrectione & ascensio-  
ne *Rex gloria* nuncupatus. In die judicii  
in justitia judicabit, & in capite ejus dia-  
demata multa, oculi ejus flamma ignis.  
Apoc. c. 19. 11.

*Actus Homagii.*

**O** Rex Sionis inclyte! Rex & terre-  
stris & coelestis Hierosolymæ, quas  
tibi grates referam, quod me indignissi-  
mum, Ecclesiae tuæ filiis ac subditis an-  
numeraveris? Te ego Regem meum su-  
premum & absolutum agnosco ac profi-  
teor; tibi fidelitatis homagium præsto  
ac juro. Potentiæ, sapientiæ & clemen-  
tiæ tuæ, me totum committo; celsitudi-  
nem, terribilitatē ac magnitudinē tuam  
revereor & adoro: cum Angelis, natum  
laudo; cum regibus, munera offero;  
cum pueris, triumphanti. *Hosanna*, ac-  
clamo: Patienti compatior; crucifixo  
configi desidero; ascendentem deside-  
riis sequor, Judicem clementem præsto-  
lor, & cum gratia tua, sic vivam, ut ali-  
quando tecum regnem in Domo Jacob  
in æternum.



## 21. Martii.

I. **D**enique post diem iudicii, plenè & perfectè regnabit Rex noster Jesus, in cœlesti Hierosolyma, in summa, pace tranquillitate & gloria. *Regnabit in Domo Jacob in æternum, & regni eius non erit finis, l.c.* Sicut enim Rex æternus est, ita & regnum ejus, cunctaque quæ in eo sunt, æterna sunt. De hoc regno sempiterno vaticinatus est Daniel c. 2. Profereus explicationem statuæ admirabilis, Regis Babyloniorum Nabuchodonosoris, aureæ, argenteæ, æreæ, ferreæ, fictilis; quæ à lapide de monte abscisso sine manibus [scilicet Christo] in pulverem redacta est. *In diebus illis, suscitabit Dominus regnum, quod in æternum non dissipabitur; comminuet autem omnia regna hæc & ipsum stabit in æternum. l.c.*

II. Lapis enim iste de monte, comminuet, regnum Babylonicum aureum; Persicum argenteum; Græcum æreum; Romanum ferreum; simulque grassantia, in omnibus regnis istis, vitia pessum dabit. Scilicet figuratam in aureo capite



222 *Domus aternitatis. Consideratio*  
ambitionem, & superbiam; in femore  
areo luxuriam; in pedibus fictilibus ava-  
ritiam: atque ita regnum Jesu Christi  
victoris, & de omnibus regnis, eorum-  
que vitiis triumphantis, *Stabit in æ-*  
*ternum.*

III. *Et regni ejus non erit finis. Regnum*  
*ejus non dissipabitur.* Dan. c. 6. 26. Omnia  
enim in eo sunt æterna. Rex æternus, Re-  
gia æterna; Jerusalem cœlestis: *non com-*  
*movebitur.* Psal. 45. *Thronus ejus erit*  
*æternus*, nam *Thronus ejus in æternum*  
*firmabitur.* Proverb. c. 29. Principes,  
Proceres, Aulici, Ministri, Angeli & ho-  
mines, assistent ei, & servient in æternum,  
maximo numero. *Millia millium mini-*  
*strabant ei, & decies centena millia assiste-*  
*bant ei.* Dan. c. 7. 10. O quàm felix &  
gloriosum est hoc regnum, in quo cum  
Christo regnant Sancti, cujus quot sunt  
cives, tot Principes; quot incolæ, tot  
Reges immortales: in quo regno, ut  
speramus, aliquando cum Chri-  
sto regnabimus in æter-  
num.

Ap.



*Applausus.*

**O** Regnum gloriæ, regnum felicitatis æternæ, quàm beatum, quàm optatum es! In quo Rex æternus, æternum imperat! quod omnia regna mundi transcendit & evertit; cujus regia æterna, thronus æternus, Proceres æterni; quorum comparatione Reges terræ, nil nisi mediastini sunt & mancipia. O felix, iterumque felix regnum, cujus opulentia infinitas, cujus amplitudo immensitas, cujus duratio æternitas, cujus Majestas ac dignitas, ipsa divinitas. O Rex sæculorum immortalis, memento mei, dum veneris in regnum tuum! O adveniat, obsecro, nobis regnum tuum! cujus & nullus est finis, & omnis finis est,  
 Deus triunus Pater & Filius &  
 Spiritus sanctus, Amen.





## CONSIDERATIO XXVIII.

*Æternitas SS. Angelorum.**Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Matth.*

c. 18. 10.

22. Martii.

I. **C**onsidera Sanctos Angelos [ de malignis spiritibus, qui etiam æterni sunt, non agimus nunc ] esse æternos, nam conditi à Deo in principio, cum mundo & cœlo; ex voluntate & decreto Dei, in æternum vivunt, *semper vident faciem Patris*, semper Deum amant, laudant, & tanquam imagines, similitudines ac specula lucidissima Dei, refulgent in æternum. Cogita cœlum esse grande quoddam palatium, vel aulam regiam speculis crySTALLINIS circumquaque ornata ac resplendentem. In hac aula cœlesti.

Specula, infimi ordines seu chori in infima Hierarchia sunt Sancti *Angeli*: qui sunt imagines piissimæ illius, quæ in Deo est, benignitatis, ac benignissimæ  
pieta-



pietatis; quâ Deus creaturas suas, maximè rationales, fovet, protegit, defendit, sustentat, condescendit, ad se pellicit, apud se libenter & amabilissimè retinet; ut in justis hominibus & peccatoribus præcipuè elucet. Quanta erit voluptas intueri tot specula fulgida & æterna? Si pios, mites, benignosque homines intueri suavissimum est; quid erit spectare, tot, quasi, Dei pietates, & benignitates, quot sunt spiritus in infimo ordine Angelorum.

II. Specula secundi chori nitidissima & in æternum relucetia, sunt *Archangeli*; qui sunt idæ & imagines augustissimæ majestatis, authoritatis, gravitatisque divinæ: quâ Deus omnia cum authoritate & plenissimâ potestate operatur. Sunt Archangeli, quasi major quidam Dei Senatus, altioresque & intimiores à secretis Ministri, ad graviora negotia deputari soliti. Quodsi augustum quiddam eminet, in uno gravi Senatore, vel in uno Senatorio confessu; quid majestatis elucebit in illo Archangelico Senatu, quorum quilibet Majestatem,



126 *Domus æternitatis. Consideratio*  
statem, authoritatēque Dei gravissi-  
mam, augustissimè repræsentat? Et si  
tanta est in uno Archangelo majestas,  
quanta erit in omnibus simul?

III. Specula æterna tertii chori, in in-  
fima Hierarchiâ supremi, sunt *Virtutes*.  
Quæ sunt exemplaria & imagines virtu-  
tis, & efficacitatis summæ Dei, mirabi-  
lium & extraordinariorum operum, ef-  
fectuūque operatricis; in illis enim e-  
lucescit vis illa Dei eminens, ac super-  
eminens, omnem non solum naturalis;  
sed etiam supernaturalis, communis or-  
dinis, modum excedens ac immutare  
prævalens, quâ miracula facillimè & so-  
lo nutu voluntatis suæ, patrat. Quod si  
miracula, non tantum divina; sed etiam  
humana, naturæ scilicet vel artis, mira-  
mur: quantus erit stupor, tot illos ar-  
tifices divinos, & prodigiosas imagines  
ac specula intueri ad hoc condita; ut mi-  
ra & stupenda opera efficiant, & divi-  
nam horum operatricem vim, vir-  
tutēque repræsentent?

\*\*\*

*Suspi-*



*Suspiria.*

**O** Deus, qui Angelos Sanctos, à te conditos, abundantiam pietatis, benignitatisque tuæ adimplesti: benedicant te omnes Angeli tui, & benedicta sit pietas tua in æternum. O Deus, coram quo Sancti Archangeli adstant, cum ineffabili reverentia semper: benedicant te omnes illi: & benedicta sit universa tua Majestas, gravitas, authoritasque in æternum! O spiritus potentes virtute, ad faciendum Dei verbum; benedicite Deum, quia ille est Dominus virtutum. Et tu Domine virtutum, sis benedictus in virtutibus tuis in æternum!

## 23. Martii.

**I.** Progrediamur ad mediam Hierarchiam, in qua *Principatus, Potestates ac Dominationes*, tanquam specula pulcherrima resplendent.

Specula æterna quarti chori Angelici sunt *Principatus*, qui sunt imagines, ut ita loquar, originationis divinæ; quæ Deus est principium omnis entitatis, re-



228 *Domus aternitatis. Consideratio*  
rumque omnium origo, ac proinde est  
omnium rerum primus ac Princeps, &  
hanc perfectionem Dei, *Principatus* re-  
præsentant, in æternum. Quod si unius  
aut alterius rei miramur principia &  
causas avidissimè scrutamur; quàm erit  
admirabile, tot Principatus, tot Princi-  
pes, tot Principiationes videre, in quibus  
singulis, Dei Principatus, alio & alio  
modo repræsentatur?

II. Specula quinti chori nitidissima,  
& æterna sunt *Potestates*: quæ sunt ima-  
gines omnipotentia Dei, ad omnia non  
solùm facta, aut futura; sed etiam possi-  
bilia sese extendentis, etiam quæ nun-  
quam fient. Si tam jucundum est, spe-  
ctare res naturales & materiales, in eo  
numero, pondere, varietate, nexu, ordi-  
ne, mensura, propagatione, & operatio-  
ne, quæ utique sunt veluti fæces & senti-  
na magni hujus dolii, id est mundi; sunt-  
que minima portio possibilium; quid  
erit spectare vivas, defæcatas, purissi-  
mâsque *Potestates*, seu imagines Dei po-  
tentia, etiam ad possibilia terminatæ, &  
in eis etiam quodammodo spectare, res  
iplas



ipsas possibiles, earumque varietatem  
& opulentiam infinitam?

III. Specula sexti chori clarissima &  
æterna sunt *Dominationes*; quæ sunt ima-  
gines absoluti Domini Dei, eminentis,  
alti, independentis, irrefragabilis, irresi-  
bilis, seu cui nemo resistere, quod nemo  
exuere, aut excutere potest. Quod si unius  
Domini hujus mundi, formidanda est  
Dominatio, quis stupor, & quàm facer  
est ille horror, augustaque majestas, tot  
Dominos, imò tot *Dominationes* videre;  
spectare tot modis, unam eandemque  
Dei Dominationem per singulos, aliter  
tamen à singulis repræsentatam? Domi-  
nationem verò non unius terræ angulis,  
sed totius rerum, etiam possibilium, uni-  
versitatis, eamque absolutam, illimita-  
tam, omnimodam?

*Affectus benedictionis.*

O Princeps *Principatum*, Domine  
Deus! sis benedictus in Principati-  
bus tuis in æternum: & fac nos ad te ori-  
ginem, principiùmque nostrum redire:  
& in te immobiliter manere, te venerari  
ado-



230 *Domus aternitatis. Consideratio*  
adorare & amare, toto esse nostro, quan-  
tum quantum sumus, in æternum. O  
Deus qui *Potestatum* habes potestatem,  
sis benedictus in potestatibus tuis, & in  
infirmis nostris in æternum ! O  
*Dominationum* Rex & Dominator Deus,  
sis benedictus in tuis & à tuis *Domina-*  
*tionibus* in æternum !

24. *Martii.*

I. **C**ONSIDEREMUS quoque supremam  
Hierarchiam, in qua tres chori,  
*Throni, Cherubini & Seraphini*, velut  
specula splendissima, & solem divinum  
repræsentantia, numerantur.

Specula æterna septimi chori sunt  
*Throni*, imagines justitiæ, æquitatísque  
Dei, qui in eis, quasi residet: repræsentant  
enim suâ entitate & naturâ judicia, de-  
cretaque Dei, esse rectissima, esse æquis-  
sima, esse inevitabilia, esse immutabilia:  
ita ut illos spiritus videre, sit videre justi-  
tiam Dei unam quidem; sed tamen di-  
versimodè in tot exemplaribus repræ-  
sentatam, quot sunt in hoc ordine spiri-  
tus. Si igitur homines aspectu Judicis,

aut



aut iudicii, pro tribunali jus dicentis timore concutiuntur & cohorrescunt: quid quæso erit videre illos, tot vivos Iudices & *Thronos* Dei iudicantis, tot representatores inscrutabilium, terribilium, æquissimorum iudiciorum Dei?

II. Specula octavi chori sunt *Cherubini*; imagines sapientiæ Dei, repræsentantes seipsis, divinæ cognitionis, ac scientiæ omnimodam plenitudinem, omnium veritatum comprehensionem, omnium abditorum occultorumve perquisitionem, intimamque omnium cognoscibilium penetrationem, quam habet Deus de omnibus rebus existentibus, in quavis differentia temporis, & de possibilibus, omnibus, in quavis conditione & suppositione. Si ergo sapientissimorum hominum confessus, si unus etiam homo doctus, tantam cæteris hominibus ciet admirationem, laudem, delectationem; quid tandem est videre illos doctores divinos, illas sapientiæ & scientiæ Dei plenitudines, quas ipsa Dei sapientia ad normam sui condidit; & in  
cœle-



232 *Domus eternitatis. Consideratio*  
cœlesti academia, ad summos sapientiæ  
gradus promovit?

III. Specula æterna noni chori & su-  
premi, sunt *Seraphini*, imagines charita-  
tis Dei, repræsentant enim, quantum  
creaturæ fas est, quomodo seipsum Deus,  
& omnia alia in se ac propter se, ac ipso  
se amet. Sunt itaque amores Dei creati,  
tot modis Deum igneè amantes, arden-  
tēsque quot sunt ipsi: quorum esse, vi-  
vere, intelligere, agere, moveri, est Deum  
amare: qui toti sunt ignes, toti flammæ,  
clibani, incendia, illo igne Dei & chari-  
tatis Dei ardentia, æstuantia, redundan-  
tia. Jam ergo si hominum Deum arden-  
ter amantium conspectu, consortio, ami-  
citiâ, satiari non possumus; & si beatos  
nos, illis semel in vita visis, censemus,  
quis explicet, qualis sit sensus, spectare,  
associari, & coæquari spir' tibus illis, qui  
aliud sunt nihil quàm amatores & amo-  
res Dei?

*Affectus benedictionis.*

**O** Deus, omnis justitiæ, & æquitatis  
Rex, judicans justitias; sis benedi-  
ctus



ctus in *Thronis* justitiæ tuæ in æternum!  
 O Deus qui sedes super *Cherubim*, & solus lux eorum es, illósque te sapientes facis, benedictus sis ab eis & in eis in æternum! O Deus charitatis æternæ ignis, qui semper ardes & nunquam extingueris, cui frigidi sunt Seraphini ad amandum te, dignè te: accende & me, ut amem te totus, & ardeam te totus. Sisque benedictus in Seraphinis, & à me inter Seraphinos in æternum. Vide V. P. Gasparem Druzbecki Tom. 1. Exerc. 5. de Angelis.

## CONSIDERATIO XXIX.

### Æternitas Hominum.

*Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

Matth. c. 10, 28.

25. Martii.

I. **C**onsidera & animam hominis esse immortalem, æternámque, & corpus, ubi in die judicii resuscitatum fuerit. Ac primò quidem anima est immortalis & æterna. Nam 1. animus hominis



234 *Domus eternitatis. Consideratio*  
minis concipit, contemplatur, concu-  
piscit cœlestia & immortalia; ergo est  
cœlestis & immortalis. 2. Animus in hac  
vita non habet satiem, nec centrum, in  
quo quiescat: ergo illud habebit in alte-  
ra vita: alioquin esset infelicior aliis  
creaturis. 3. Omne quod est corruptibile,  
aut corpus est aut accidens; hæc enim,  
quia habent contraria, possunt cor-  
rumpi: atqui anima hominis non est  
corporea, nec accidens; ergo est incor-  
ruptibilis. Secus est de animabus bruto-  
rum: hæc enim à corpore per omnia pen-  
dent, ideóque corporea & corruptibi-  
les censendæ sunt.

II. Hanc immortalitatem & æterni-  
tatem animæ, senserunt & per umbram  
viderunt, Philosophi ethnici. Socrates,  
Plato, Cato, Cyrus. Cicero L. 6. de Re-  
pub. ait: *Sic habeto: omnibus, qui patriam  
conservaverint, adjuvarint, auxerint, cer-  
tum esse in cœlo ac definitum locum, ubi  
ævo sempiterno fruantur.* Verùm clarè  
eam probavit Christus contra Saddu-  
cæos Matth. c. 23. 33. ex illo loco Exodi  
c. 3. 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus  
Isaac,*



*Isaac, & Deus Jacob.* Id est: Ego sum Deus, quem hi olim coluerunt, & nunc quoque in limbo colunt, & pro salute posterorum orant. Unde infert Christus, *non est Deus mortuorum, quem scilicet mortui colant, sed viventium.* Vivunt ergo etiamnum hi tres Patriarchæ, apud Deum, qui animas eorum conservat.

III. Anima igitur humana, & spiritualis, rationalis, indivisibilis, adeoque incorruptibilis, immortalis & æterna? imago Dei: de qua Christus *animam autem non possunt occidere.* l. c. Nullus enim eam ignis potest consumere, nulla aqua suffocare, nullus transverberare gladius, nullus strangulare laqueus, nullum venenum conficere, nullus Tyrannorum, latronum, carnificumve, quacunque vi aut modo enecare. Nullus Angelorum, dæmonum, aut hominum in nihilum redigere. Sed aut in Domo æternitatis beatæ, aut in Domo æternitatis damnatæ æternùm vivet, instructa memoriâ, intellectu & voluntate.



*Colloquium.*

**Q**Uare ô homo! hanc animam, omni studio serua aternæ vitæ; in cœlo obtinendæ; omnia si perdas (pecuniam, famam, vitam) animam seruare memento. Quæ semel amissâ, postea nullus eris. O damnam irreparabile in aeternum! Postea nullus eris, apud Deum, apud Angelos, & Sanctos, nullus apud Diabolos & inferos, sed ab omnibus derelictus contemptus & abjectus, quia Deum offendisti, dereliquisti, despexisti. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. c. 2. 30. & cum Henrico VIII. Angliæ Rege dicere poteris: *Omnia perdidimus;* quando quidem animâ aeternum perditâ, nihil ultra amittendum restat.

*26. Martii.*

**I.** **C**ONsidera deinde, quòd hæc anima immortalis & aeterna, sit quoque homini, unica tantum. Una Sulamitis, una regina, una sponsa, una columba, una margarita pretiosa, una dilecta, una amica, una oscula tibi speciali-

tæc



ter commissa : quæ semel cœlo inserta est æternùm salvata : Semel amissa , est æternùm damnata : quia in inferno nulla est redemptio. *Omnia duplicia dedit nobis Deus, ait S. Chrysostomus, duos oculos, duas aures, duas manus ; ut si alterum horum lesum sit, altero indigentiam relevemus: animam vero unam nobis dedit, quam si perdidimus, quoniam vivemus? Pecuniam qui amisit, aliam pro amissa potest afferre, similiter qui edes, qui servos, qui cetera hujusmodi amisit : animam vero si perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris.* Homil. 6. in Matth. 16. Unde Salvator monet : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth. c. 16.*

II. Ex hoc autem, quod anima sit æterna, ac unica sequitur quod sit valde pretiosa. Omni auro, geminis, thesauris longe pretiosior. Est enim magno pretio redempta, scilicet pretioso JESU Sanguine. *Empti estis pretio magno. 1. Corinth. c. 6. 20. Si pro una tantùm anima, totum quod in mundo est appendas, aurum, argentum, margaritas, prædia, possessiones, palatia, urbes, ipsùmque mundum, nihil*



238 *Domus eternitatis. Consideratio  
in eius comparatione dedisti.* ait S. Lau-  
rent. Justin. ser. in f. S. Thom. Unde  
optimè Salvator quærit: *Quid prodest ho-  
mini si totum mundum lucretur, anima ve-  
ro sua detrimentum patiatur?* Matth. c.  
16. *Lucretur enim omnes omnium Re-  
gum, opes, honores, voluptates, quid pro-  
dest?* Inter lucrum temporale, & dam-  
num æternum, quænam comparatio.

III. Vides & colligis ex dictis, quâ so-  
licitudine anima sit custodienda. *Pretio-  
sa vestis, timidiùs custoditur, majori solici-  
tudine possidetur, grandi curâ, magna qua-  
sunt, custodiuntur,* ait S. Cyprianus. L. de  
mort. Habes cistulam decem aureorum  
millibus refertam, quàm providus es,  
ne amittas? habes captam annulis aureis,  
gemmis, adamantibus, cimeliis plenam;  
quàm cautus es, ne perdas? Habes scri-  
nium repletum literis originalibus om-  
nium bonorum tuorum, centenis aureo-  
rum millibus æstimatorum, quàm stu-  
diosè ab incendio præservas? Et quid  
cuncta hæc, ad animam tuam, æternam,  
unam, pretiosam? Nil nisi quisquilæ,  
bullæ & puerorum crepandia.

Collo-



## Colloquium.

**C**ustodi igitur, ô Christiane! animam tuam æternam, animam unam, animam pretiosam, in vitam æternam. *Custos anima servat vitam suam.* Prov. c. 16. 17. Et quidquid lucreris, quidquid amittas, serva & salva animam tuam. *Unius enim anima perditio, tantam habet jacturam, ut nulla ratio possit aestimare.* S. Chrylost. Hom. 3. in acta. Invigila huic thesauro inæstimabili, quem portas publicè in via, inter latrones & prædones, in vase fictili & fragili, cave ne tibi eripiatur à Prædonibus tartareis. *Vitam curemus nostram, & neque circa pecunias studeamus, quæ pereunt; neque circa gloriam, quæ extinguitur; neque circa corpus, quod senescit; neque circa pulchritudinẽ, quæ marcescit. neque circa delicias, quæ defluunt; sed circa animam, omnem curam impendamus, & hanc omni curamus modo.* S. Chrylost. Hom. 8. ad pop.

27. Martii.

**P**erpende demum, etiam corpus hominis æternum esse: quamvis enim

L

in



240 : *Domus eternitatis. Consideratio*  
in hac vita mortale sit, post universalem  
tamen resurrectionem, evadet immorta-  
le & æternum. *Seminatur, ait Apostolus,*  
*in corruptione, resurget in incorruptione.*  
I. Corinth. c. 15. Tunc enim illi mors ul-  
trà non dominabitur; sed vivet in æter-  
num, vel in perpetuis cœli deliciis; vel in  
sempiternis orci tormentis. Atque ita,  
unà cum sensibus & membris omnibus,  
recipiet, vel præmium, vel pœnam, prout  
meritum fuerit; nunquam terminandam.

II. Si enim corpus animæ suæ, tan-  
quam parti nobiliori, morigerum, subje-  
ctum atque obediens extiterit, ac prom-  
ptum se exhibuerit, ad exercitium ope-  
rum bonorum; ad observationem Dei  
mandatorum; ad usum virtutum Chri-  
stianarum; unà cum anima, cœli gaudiis  
potietur dotibusque quaternis gloriosis  
exornabitur. Quod si verò rationis fræ-  
num excusserit, animæ rebellaverit, &  
post concupiscentias suas ire voluerit,  
unà cum anima infallibiliter ad supplicia  
æterna amandabitur.

III. Infer ex his, quantus is stimulus  
esse debeat, homini Christiano, & verâ  
fide



fide imbuto, ut cum Apostolo, castiget corpus suum, & illud in servitutem redigat: ut mortificationem JESU semper in corpore suo circumferat; ut corpus suum exhibeat *Hostiam, viventem, sanctam ac Deo placentem*. Rom. c. 12. Ut si oculus, manus, pes scandalizet; eum eruat, aut abscindat. Matth. c. 5. Ut sicut exhibuit membra sua servire immunditiae & iniquitati, ad iniquitatem, ita nunc exhibeat ea servire justitiae in sanctificationem. Rom. 6. 19.

## Colloquium.

**O** Corpus meum! hinc brevi vivens tempore; sed victurum aliquando in aeternitate: desiderasne frui caeli gaudiis, an cruciari orci poenis, idque sine fine? si prius; semper obtempera animae piis motibus, sequere impulsam, non carnis tuae, sed spiritus, exhibe te hostiam viventem, non te occidendo, sed desideria tua carnalia necando, & gulam, luxuriam, caeteraque vitia mortificando; & membra ac sensus velut instrumenta divinae gloriae adhibendo. Sic resurges spirituale, pulchrum, fulgidum, gloriosum:



242 *Domus aternitatis. Consideratio*  
sum: sicut scriptum est: *Nam si commor-*  
*tui sumus, convivemus; si sustinebimus &*  
*conregnabimus. 1. Corinth, c. 15. & 2.*  
*Tim. 2. 11.*

### CONSIDERATIO XXX.

*Auster & Aquilo aternitatis.*

*Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad A-*  
*quilonem, in quocunque loco ceciderit,*  
*ibi erit. Eccle. c. 11. 3.*

28. *Martii.*

**P**rimam partem de aternitate, clau-  
dimus, similitudine hâc Ecclesia-  
stæ, de arbore cadente & in loco perma-  
nente, in quem lapsa est, quâ geminas æ-  
ternitatis Domus distinctè proponit.  
Quare perpende hominem esse similem  
arbori: nam ex mente Platonis & Aristo-  
telis, homo est arbor inversa; cujus caput  
& capilli radices; corpus truncum, cutis  
corticem, manus, pedesque ramos ad-  
umbrant. Nec abludit Vates Regius, ho-  
minem justum, ligno comparans, quod  
plantatum est secus decursus aquarum.  
Psal. 1. Quemadmodum verò arborum  
natu-



naturalium, ita & mortalium, alia fertilis, alia sterilis; alia fructus bonos ac maturos, alia malos acerbosque producit.

II. Perpende deinde, quod utrique tandem mors securim ad radicem ponat, eamque præscindat; præcisa verò cadat: sed hoc bene observa in quam partem ceciderit, ibi manebit: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* l. c. Si ceciderit in manus sanctorum Angelorum, ibi erit: si ceciderit in ungues Cacodæmonum, ibi erit: *si ceciderit ad Austrum* æternæ beatitudinis, *ibi erit, ibi florebit, ibi fructificabit, ibi manebit semper sine fine:* *si verò ceciderit ad Aquilonem,* æternæ damnationis, *ibi erit, ibi jacebit, ibi, arebit, ibi ardebit, ibi manebit, in æternum, absque omni spe translationis ad Austrum. O casus metuendus!*

III. Sed jam, scire fortassis aves, ad quam partem, tu præcisus, aliquando casurus sis? Vide quò in hac vita propendeas: omnis enim arbor illuc corrui, quò propendet: propendens ad Aquilonem, ad Austrum non concidet; frustra



244 *Domus aternitatis. Consideratio*  
id speratur. Si igitur ad Austrum, ad me-  
ridiem, ad calorem, fervorem, gratiam,  
charitatem & perfectionem Christianam  
propendes, ad meridiem, procumbes; si  
verò ad septentrionem, ad frigus, ad ma-  
lum ad vitia & peccata inclinas, in se-  
ptentrionem damnationis perpetuæ uti-  
que corrues. Tu semper ad Aquilonem  
propensus es, & si excisus fueris, speras  
te calurum ad Austrum. O quanto te in-  
venies errore deceptum!

*Colloquium.*

**O** Deus, plantator & Conditor meus!  
ego jam sum arbor senescens & a-  
rescens, ac processi in diebus meis; ideò  
que brevi præstolabor mortis securim:  
sed à morte abscissus, quò cadam? Cer-  
tum est ad alterutram partem (tertius e-  
nim locus æternus haud datur) cadam.  
Cadam: jam ab æterno sic statutum est:  
cadam; hæc est via universæ carnis: sed  
quò? ô Domine, non ad Aquilonem: me-  
lius enim mihi foret si natus non fuisset.  
Quare si illuc fortè propendeo, reflecte  
me, & incurva me in oppositum, ut ut ar-  
bor



bor annosa sum, & flecti difficilis; parce  
 seruo tuo, parce delinquenti: & non in-  
 tres in iudicium cum seruo tuo, quia non ju-  
 stificabitur in conspectu tuo, omnis vivens.  
 Psal. 142. 2.

## 29. Martii.

I. **C**ONsidera: Homo justus & in gratia  
 Dei decedens, mortis falce præci-  
 sus, velut arbor bona cadit ad *Austrum*,  
 æternæ beatitudinis. Est enim arbor  
 plantata, secus decursus aquarum, seu  
 gratiarum divinarum; cujus radix fides;  
 stipes spes; rami charitas; medulla inten-  
 tio bona; folia, verba iusta; flores, bona  
 fama; fructus, bona opera; intus per con-  
 scientiam, foris per doctrinam, supra per  
 gloriam. O præclara arbor justitiæ! In  
 qua & hyeme & æstate semper reperiu-  
 tur folia honestarum cogitationum, flo-  
 res affectuum, fructus operum, virens  
 doctrina, florens vita, oblectans con-  
 versatio!

II. Talis autem arbor, præcisa, pote-  
 ritne aliò cadere, quàm ad austrum æter-  
 næ beatitudinis? minimè gentium. Primò  
 quidem cadit dum à morte in terram



246 *Domus æternitatis. Consideratio*  
prosternitur; sed resurgit postluminio;  
moritur, sed reviviscit; non excinditur,  
sed unà cum viva radice transfertur, at-  
que è sterili hujus mundi solo, in paradi-  
sum cœlestem transplantatur: *Et erit*  
*tanquam lignum, quod transplantatur.* Pl.  
91. 3. Et ubi plantabitur, ibi erit, ibi ma-  
nebit, ibi florebit, & fructum dabit in  
tempore suo, id est, totâ æternitate.

III. Verùm, ô quàm dulces, quàm no-  
biles fructus producet! scilicet fructus  
lætitiæ & exultationis; fructus laudis &  
gratiarum actionis; fructus visionis bea-  
tificæ, dilectionis perpetuæ, & benedi-  
ctionis æternæ. Foliis semper virentibus,  
fructus conservantibus, & arborem de-  
corantibus. *Et folium ejus non defluet:* O  
quàm nobilis, quàm speciosa arbor! Qua-  
si palma exaltata in Cades, velut oliva  
speciosa in campis, velut vitis fructifi-  
cans suavitatem odoris, ac producens  
fructus honestatis, felicitatis atque æter-  
næ beatitudinis.

*Petitio.*

**O** Domine JESU! Qui dixisti: *Ego*  
*sum vitis vos palmites, qui manet in*



me & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Joan. c. 15. 5. Obsecro te, per viscera misericordiae tuae, mane in me, & ego maneam in te, sicut palmes in vite: & quia sine te nihil possum facere, gratiâ tua efficaci mihi opitulare, ut fructus bonos, copiosos ac te dignos proferam, atque ita evadam, quasi palma exaltata, oliva speciosa & vitis abundans, quæ à morte præcisa ad austrum cadat, & in paradisum cœlestem transplanteretur.

## 30. Martii.

**I.** EX adverso homo impius, & peccator est arbor sterilis, est ficulnea infructuosa, cui maledixit Dominus, & cui exprobravit: *Ecce anni tres sunt* [primus juventutis, secundus virilis ætatis, tertius senectutis] *ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio. Succidite ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Lucæ c. 13. O terribilis maledictio! ô horrenda comminatio!

**II.** Sed quid præcisâ fiet? cadet; & ad Aquilonem cadet; ubi omne malum residet:



248 *Domus aternitatis. Consideratio*  
fidet : Siquidem ab Aquilone pandetur  
malum. Jerem. c. 1. 14. Deinde arefcet,  
& in ignem mittetur, & ibi manebit, ibi  
ardebit ac flagrabit femper, nunquam  
deflagrabit : quia materia non confumi-  
tur, quia ignis non extinguitur. Matth. c.  
9. 43. Ibi Aquilo turbidus, & fpiritus  
procellarum, omne germen adurit, flores  
& fructus decoquit, nunquam deinceps  
prodituros.

III. Secus accidit Regi Nabuchodo-  
nolori, cui dictum est : *Succidite arbo-  
rem; pracidite ramos, veruntamen ger-  
men radicem ejus, in terra finite.* Dan.  
c. 4. 11. Pœna hîc infligitur, spes tamen  
non adimitur, radix fervatur : verum  
longè alia ratio est arboris ad aquilonem  
ruentis; ubi arbor radicitus evellitur, at-  
que extirpatur : *Non derelinquet in eis  
radicem & germen.* Malach. c. 4. 1. *Sic-  
que spes impiorum peribit.* Proverb. c.  
10. 28.

*Petitio.*

**O** Domine! peccavi, te offendi, pœ-  
nam merui, in flagella paratus sum:

COITÆ



corripe me, sed ne in furore tuo arguas me: nec ad aquilonem deturbes me, nec germen radicis exscindas in me; spem, obsecro, relinque, gratiam emendationis tribue, locum & tempus pœnitendi clementer indulge; ne cum Jobo deplorare cogar: *Quasi avulsæ arbori abstulit spem meam. c. 19. 10.* Atque ita in perpetuum sim arbor arida, infructuosa, inferni ignibus adjudicata, terribilique hoc vocis tuæ fulmine ac tonitru percussa: *nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum. Matth. c. 21. 19.*

## 31. Martii.

**I.** PRO clausula hujus primæ partis, considera & cum horrore cogita, quot ab Adami, protoplasti Parentis nostri, tempore, usque in hodiernum diem, id est 5662 annorum spatium in hoc mundi deserto, arbores, infructuosæ, excisæ, eradicatæ, evulsæ, ignibusque æternis addictæ, excreverint. Et expavesce!

**II.** Expende, quot jam sæculis ardeant, Sodomæ & Gomorrhæ obscœni incolæ! Quot sæculis Core Dathan, & Abiron,



250 *Domus aeternitatis. Consideratio*

Abiron, cum omni aſſeclarum multitudine? Quot ſæculis Nero, Judas, Dives Epulo, cum tot Ethnicorum, Mahometanorum, Atheorum, Hæreticorum & malorum Chriſtianorum millionibus? & quem non terreant, tot ruinae, tot ſtragges, tot excidia & incendia ſempiterna?

III. Numera, ſi potes, quot ſæculis arſerint, & etiamnum ardeant, æternumque arſuri ſint, in gehenna tot myriades ſuperborum, avarorum, luxurioſorum, guloforum & acedioſorum hominum qui in ſceleribus ſuis vitam finire, & mortis falce præciſi, ad Aquilonem ruerunt, ibidem erunt, ibidem manebunt, atque in flammis tartareis, velut arida ligna, in faſces colligata, perennabunt: ſiquidem congregabuntur, in congregatione unius faſcis, & claudentur ibi in carcere. Iſaiæ c. 24. 22. Quis non timebit te, Domine, Rex gentium, qui potes corpora & animas perdere in gehennam?

*Affectus deprecationis.*

**A**H! parce mihi, Domine, & miſere-re! ſic exciſæ ſunt arbores illæ maledi-



ledictæ ; & cur non ego ? in ignem missæ sunt ; cur non ego ? in æternum ardent & ardebunt ; cur non ego , illis , longè deterior ? *Misericordia Domini , quia non sumus consumpti .* Thren. c. 3. 22. Tu benignissime Deus , in me arborem silvestrem ac despicabilem , misericordiæ tuæ oculos ab æterno coniecisti ; tu è fundo sterili , in quo eram arbor mala , orci ignibus destinata ; in Ecclesiæ tuæ , & religionis hortum me transtulisti ; ut fructus bonos facerem : atque ita ex parte tua nihil defuit : terra enim in qua plantatus sum , terra sancta est , pretioso Filii tui sanguine irrorata , frequenti Sacramentorum usu fœcundata , beatorum Martyrum cruore rigata , Sanctorum lacrymis & abundantia spiritûs pinguis ; ita ut arbores nutriat altissimas , pulcherrimas & fertilissimas ; *Extendit palmites suos usque ad mare , & usque ad terminos orbis terrarum propagines suas .* Psal. 79. Sita in eo cœli , solisque aspectu ; ut divinos influxus , continuò recipiat , continuò cœli rore irrigetur.

Et tamen , ô Domine ! ego arbor in-

**M**

fructuo-



252 *Domus aternitatis. Consideratio*  
fructuosa, hactenus parum, aut nihil so-  
lidi fructus protuli; foliis abundavi; in  
oculis mundi virui; in studiis, in actioni-  
bus, in conversationibus meis, homini-  
bus plus quam tibi, placere studui: an  
non igitur merito inclamas: *Succidite il-  
lam, ut quid etiam terram occupat? Verum*  
*S. Angelus Custos, intercedens ait: Parce*  
*Domine; annum vel unicum adhuc in-*  
*dulge: Dimitte illam & hoc anno, usque*  
*dum fodiam circa illam, & mittam sterco-*  
*ra (id est malorum suorum abomina-*  
*tionem, in animum ei reducam) & si qui-*  
*dem fructum fecerit, (bene erit) sin au-*  
*tem, in futurum succides eam. Lucæ c. 13.*  
*Omnis enim arbor (nullâ exceptâ) quæ*  
*non facit fructum bonum, excidetur*  
*& in ignem mittetur. Matth.*  
*cap. 7. 19.*



INDEX



I N D E X  
Considerationum

I. PARTIS.

C	Consideratio I. Domus æternitatis.	pagina 3.
2.	Bivium Domûs æternitatis.	13.
3.	Spatiosa via, ad Domum damnatæ æternitatis.	21.
4.	Arcta via ad domum beatæ æternitatis.	31.
5.	Lata porta Domûs damnatæ æternitatis.	40.
6.	Angusta porta Domûs beatæ æternitatis.	49.
7.	Mors bona, janua Domûs beatæ æternitatis.	56.
8.	Mors mala, porta Domûs damnatæ æternitatis.	65.
9.	Sententia felicis æternitatis.	75.
10.	Sententia infelicis æternitatis.	84.
11.	Comites æternitatis.	93.
12.	Ethnicorum erronea opinio de æternitate.	102.
13.	Palimpsestus symbolum primum æternitatis.	111.

M 2

14. Bi-



# I N D E X

- |     |   |     |
|-----|---|-----|
| 14. | Bibliotheca symbolum secundum æternitatis.    | 117 |
| 15. | Maria & flumina symbolum tertium æternitatis. | 123 |
| 16. | Globus ferreus symbolum quartum æternitatis.  | 129 |
| 17. | Pondus ignis symbolum quintum æternitatis.    | 135 |
| 18. | Alia symbola æternitatis.                     | 142 |
| 19. | Annus , dies , hora æternitatis.              | 150 |
| 20. | Differentia temporis & æternitatis.           | 159 |
| 21. | Natura æternitatis.                           | 168 |
| 22. | Æternitas divinitatis.                        | 176 |
| 23. | Immutabilitas divinæ æternitatis.             | 184 |
| 24. | Æternitas Dei Patris.                         | 192 |
| 25. | Æternitas Filii Dei.                          | 199 |
| 26. | Æternitas Spiritûs Sancti.                    | 207 |
| 27. | Æternitas Christi Regis.                      | 214 |
| 28. | Æternitas SS. Angelorum.                      | 324 |
| 29. | Æternitas hominum.                            | 233 |
| 30. | Auster & aquilo æternitatis.                  | 242 |

Erro-



## Errores Typographici.

**P**ag. 3. in dedicatione lin. 9. metum,  
corrigere metam.

Pag. 2. lineâ ultima vivis corrigere  
vives.

p. 14. l. 10. crucifigans c. crucifigens.

p. 29. l. 4. quæritur c. queritur.

p. 30. l. 2. cohorro c. cohorreo.

p. 36. l. 4. à fine quanta c. quarta.

p. 42. l. 9. crapulas. c. crapula.

p. 50. l. 5. æquante. c. æquant.

p. 55. l. 1. implet. c. impletæ.

p. 62. l. 4. à fine mortale c. morale.

p. 64. l. 15. mortale. c. morale.

p. 73. l. 5. hellicando c. helluando.

p. 75. l. 1. nobis. c. nolis.

p. 77. l. 14. consecrasti c. consecratis.

p. 87. l. 4. feries c. ferires.

p. 99. l. 12. deleta c. deletæ.

p. 105. l. 4. à fine, varia c. vana.

p. eadem l. 3. à fine uleterius c. ulterius.

p. 110. l. 7. generosam c. generosa.

p. 135. l. 5. à fine suis c. tuis.

p. 155. l. 12. unus. c. unius.

p. 178. l. ult. priores c. prior es.

p. 195. l. 3. à fine fore c. fove.

p. 103.



## Errores Typographici.


- p. 203. l. 4. Patre c. Patris.  
p. 206. l. 2. à fine similitudinibus, c.  
similitudinis.  
p. 213. l. 4. à fine à c. è.  
p. 219. l. 8. duratiove c. duratione.  
p. 224. l. 4. à fine ordines c. ordinis.  
p. 229. l. 6. irrefilis c. irresistibilis  
p. 134. l. 14. corporea c. corporeæ.  
p. 234. l. 21. adjuvarint c. adjuverint  
p. 235. l. 10. & c. est  
p. 236. l. ult. oricula c. ovicula.  
p. 237. l. 11. affere c. afferre  
p. 239. l. 16. extinguitur c. extinguitur  
p. 242. l. 15. domus c. domos  
p. 143. l. 1. mortalia c. moralia.  
p. 247. l. 18. irilis c. virilis.



































Th 4 12  
2929



